Calvidii Leti i.e. Claudii Quilleti Callipaedia; seu, De pulchrae prolis habendae ratione, poema didacticon / [Claude Quillet].

Contributors

Quillet, Claude, 1602-1661. Choulant, Ludwig, 1791-1861.

Publication/Creation

Lipsiae : L. Voss, 1836.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/zj9dgdrp


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org



Sartes reanter fortites & bonis. at in juicennis, estingins pating Hiltris, nes imbellem formes Grozenwant aquila columbar Horat. Carn. leb. A. on H. 42600/A QUILLET, C.





CALVIDII LETI

I. E.

CLAUDII QUILLETI CALLIPAEDIA

SEU

DE PULCHRAE PROLIS HABENDAE RATIONE POEMA DIDACTICON.

SECUNDUM EDITIONEM ALTERAM SEU PARISIENSEM CUM INTEGRA LECTIONIS VARIETATE EDITIONIS PRIMAE SEU LEIDENSIS

EDIDIT


Ludovicus Choulant

PRAXEOS MEDICAE IN ACADEMIA MEDICA DRESDENSI PROFESSOR.

LIPSIAE

APUD LEOPOLDUM VOSS.

1836.



EDITOR LECTORIBUS S. D.

maccoptie atere felicitee.

EDITOR LECTORIDUS S. D.

miture Notulas adiasi nonnullas et inte-

-citized entries in commune entries and

nom variantent, quas hacusque nusquain

fuonit exciting texture adoreatisation trais

evendendem entravi. Vale of Calligaedine

Carmini praestantissimo Fracastorii de morbo Gallico seu Syphilide, quod ante sex annos adcurate edidi et notulis illustravi, adiungere nunc placet Claudii Quilleti *Cullipaediam*, carmen non illepidum et a re medica non omnino alienum, ut in uno simul conspectu habeatur carminum medicinalium praecipuorum biga ex aevo Leonis X. Papae et Ludovici XIV., Regis Galliae. In his carminibus perlustrandis et diiudicandis facile videbit lector, utrumque carmen reapse eadem ratione ab altero differre, uti aevorum illorum in re litteraria notatu dignissimorum genius, et uti Itala gens ab illa differt, quam an Gallos an Francos dicamus, semper ambi-

EDITOR LECTORIBUS S. D.

IV

gitur. Notulas adieci nonnullas et integram editionis primae et rarissimae lectionem variantem, quae hucusque nusquam fuerat exhibita; textum adcuratissime typis excudendum curavi. Vale et Callipaediae praeceptis utere feliciter.

DITYOR LECTORIBUS S. D.

falling sun fryphilide, quad anto sor annos

count places Clamit Gallen Callination

not ascient or p in mahieraff non nearing

annia allemin, at in uno simul conspecta

dorier LIV.; Redie Gallinic, In his careni-

vacione ab altero differre, nii, arrerum ille-

mine, of in Itala geans ab illa diffort, gaam

CONSPECTUS.

Auctoris pra	efationes					. 3
Callipaediae			1.			
	liber secund	lus				. 27
a stand and start and	liber tertius	5				. 44
	liber quartu	15	• • •	• •	••	. 61
Varietas lect	onis ex edi	tione L	eidens	i .		. 86
Notae						. 91

Digitized by the Internet Archive in 2015

..... aubiniose radil

JEV . . .

G.

TE

CONSTRUCTUS

Prolegomena . . .

And one profetiones

Collectedier liber primus.

https://archive.org/details/b22027130

QUILLETI VITA.

umaquas videbit, qui collata variatato lactionia.

means . How ince templers dura Round Round

tens Chaligalis, Nichelien receptrate, Cur. vero

printio of pseudony man editionis, guoo Langdun

Auctor huius carminis, Claude Quillet, natus est in urbe Chinon, ad flumen Vienne sita in ea Galliae provincia, quam veteres Turoniam, nostrae aetatis homines la Touraine dixerunt; eandem ergo patriam habuit cum celebri populari suo Francisco Rabelais. Nativitatis annus est vel 1602 vel 1607, mortis annus vero 1661. Medicinae operam dedit, imo eandem exercuit primo in urbe patria, dein apud Loudunenses. Cum vero in hac ipsa urbe moniales aliquot Ursulinae se a daemonibus obsessas praedicarent, ipsi etiam Cardinali Richelieu placeret, huic rei fidem facere videri velle, eamque sua auctoritate munire, Quilletus autem more medicorum non solum dubiam reddere, sed etiam risui exponere rem ridiculam non cunctaretur, factum est, ut securitati suae fuga consulere cogeretur. Romam igitur migravit profugus, ibique clericus factus legato Regis Galliae, Marescalco d'Etrées, erat a

PROLEGOMENA.

litteris. Hoc ipso tempore dum Romae degeret, Callipaediae carmen primo aggressus est, terminavit vero Parisiis, in quam urbem se post mortem Cardinalis Richelieu receperat. Cur vero primae et pseudonymae editionis, quae Lugduni Batavorum anno 1655 impressa est, multa loca displicuerint Cardinali Mazarinio, id facile unusquisque videbit, qui collata varietate lectionis, quam pag. 86 sq. dabimus, secum perpenderit, Mazarinium Italum et apud Francogallos advenam, imo profugum, summa rerum gerendarum sibi adscivisse et eo temeritatis progressum esse, ut Ludovico XIV. neptim suam matrimonio iungere apud se constituisset, de qua re Quillet sermonem fecit in fine libri primi editionis Leidensis. Quomodo vero Mazarinius in auctorem egerit, melius edoceberis verbis Aegidii Menagii, contemporanei scilicet et Parisiis itidem degentis: "Il fit imprimer ce livre (la callipédie) en Hollande. Le Cardinal l'ayant su, fit avertir M. Quillet de lui venir parler, mais au lieu de lui témoigner du ressentiment, il se plaignit seulement avec douceur de ce qu'il l'avoit si peu menagé dans ce Poëme. Vous savez, ajoûta-t-il, qu'il y a longtems que je vous estime, et que si je ne vous ai pas fait du bien, c'est que des importuns m'obsedent et m'arrachent les graces; mais je vous promets, que la premiere Abbayie qui vaquera

sera pour vous. M. Quillet touché de tant de bonté se jeta aux genoux du Cardinal, lui demanda pardon, et promit de corriger son Poëme de telle manière qui'l en seroit content; le suppliant dès lors de vouloir bien souffrir, qu'il le lui dédiât, ce que le Cardinal lui permit. En effet il fit imprimer cette seconde Edition corrigée in octavo à Paris en 1656, et la dedià à M. le Cardinal, qui peu de tems auparavant lui avoit donné une Abbayie considérable (Doudeauville); dont la mort l'empecha de jouir longtems" etc. (Menagiana, Paris, 1715. 8. Tome III. p. 232.). Ita facile apparet ob astutam et bene locatam Mazarinii clementiam et munificentiam factum esse, ut ea, quae Quilletus animo virili et intrepido dixerat in prima operis sui editione, in secunda plane in contrarias partes mutarentur, utque ea, quae in acre satis et ingenuum Cardinalis vituperium prolata erant, in laudes eius abirent. Aliter rem narrat Gui Patin (lettres à Spon II. pag. 174.): "Il y a dans ce Poëme plusieurs Vers qui offensent l'Eminence du Mazarin, en tant que Cardinal étranger, Ministre d'Etat etc. On l'a cherché pour le mettre prisonnier, mais il s'est finement et heureusement sauvé, même le Mazarin a fait courir après lui; mais on ne l'a su attraper, et je croi qu'il fera bien de ne pas se laisser prendre. On dit qu'il s'est sauvé en Holx

lande. Ce M. Quillet est un gros Garçon, rougeaud et à col court d'environ 54 ans. Je l'ai souvent entretenu: il etoit fort ami de M. Gassendi, il a bon esprit et est fort savant." Quocunque autem modo haec vere se habeant, difficillime semper intellexeris, quomodo vir probus et sibi constans vituperia iusta et animo ingenuo prolata in adulatorias laudes possit convertere et quomodo haec cum virilis famae integritate consistere queant.

Quilletus inter alia opera reliquit etiam carmen epicum de Henrico IV, Rege Galliae, quod nomine *Henriciados* inscribere volebat, et cui imprimendo et edendo quingentos thaleros testamento destinabat; dein etiam versionem plenam satyrarum Iuvenalis. Utrumque opus prelo non commissum est, sed manuscriptum adhuc latet.

Callipaedia varia eruditorum iudicia perpessa est; acris vituperatio legitur in Andreae Baillet jugemens des savans sur les principaux ouvrages des auteurs, Tom. V. p. 285.; honorifica vero censura in Bayle diction. s. v. Quillet et apud alios fide dignos auctores quam plurimos. Et uti varia sunt libellorum fata et mirabilia interdum, ita certe in hoc opere non immerito miraberis, splendide remuneratum fuisse ab eo ipso viro, quem acriter carpebat, et carmen de prole gignenda conscriptum esse a coelibe sacerdote,

QUILLETI VITA.

dedicatum Cardinali Romanae ecclesiae, auctori ipsi vero promeruisse abbatiam. (Cfr. Haller biblioth. medic. practic. III. pag. 45.; Kestner, medicin. Gelehrten - Lexicon pag. 687.; Eloy dictionnaire historique de la médecine, Mons, 1778., Tom. IV. p. 12.; Biographie médicale VI. pag. 523.; Wachler Handbuch der Geschichte der Literatur IV. pag. 108.; Ebert bibliograph. Lexic. II. pag. 560.; praefationem denique ad Nicol. Andry orthopaediam. Paris, 1741. 12.)

EDITIONES CALLIPAEDIAE.

Lugd. Batav., 1655. 4., veneunt Parisiis apud Thom. Jolly (sic).

Editio princeps, perrara, eleganter et adcurate litteris rectis impressa, foliis 28. Nomen auctoris non indicatur, titulus ita legitur: Calvidii Leti Callipaedia; seu, de Pulchrae Prolis habendae ratione. Poëma Didacticon ad humanam speciem belle conservandam apprime utile. Neque dedicationem habet, neque praefationem, sed pone titulum statim legitur "Totius Callipaediae oeconomia," quam textus ipse excipit. Locos, qui Mazarinio displicuerunt, habent paginae 15, 48, 50, 56. Sed multis aliis adhuc locis discrepat haec editio a sequenti, quod ex integra lectionis varietate videre licet, quam pag. 86. exhibebimus.

Paris., 1656. 8., apud Thom. Joly.

Editio altera, plenior et emendata, dedicatione ad Mazarinium Cardinalem et praefatione praedita, 16 et 96 paginis. Textus litteris inclinatis adcurate

PROLEGOMENA.

quidem, sed neutiquam eleganter impressus, nostrae editioni subest. Titulus: Cl. Quilleti Callipaedia, seu de pulchrae prolis habendae ratione, poëma didacticon. Cum uno et altero eiusdem Authoris carmine. Adduntur scilicet huic editioni auctoris Epistola ad Eudoxum et eiusdem Encomium in obitum Petri Gassendi, utrumque versibus conscriptum.

Londini, 1708. 4. min., impensis J. Bowyer.

Secundum editionem Parisiensem adcurate et eleganter litteris rectis impressa, ita ut aliquot versus ex editione Leidensi litteris inclinatis impressi suis locis interponantur; sed versusisti neque plenam lectionis varietatem exhibent, neque ex ipsa editione principe Leidensi desumti sunt, sed e Menagianis III. 232. Titulus idem est ac in Parisiensi editione, additis his verbis: Juxta Editionem Parisiensem adiectis versibus aliquot ex Lugduno-Batava; habet paginas 16 et 96. Bibliopola simili ratione impressit Scaevolae Sammarthani paedotrophiam sive de puerorum educatione libros tres eodem loco et anno, et utrique carmini dein iunctim divendito communem titulum praefecit: Cl. Quilleti Callipaedia etc. et Scaevolae Sammarthani Paedotrophia, Lond. 1709., impensis J. Bowyer, ita ut hic liber nova Callipaediae editio dici non possit.

Paris., 1709. 8., ap. Thom. Joly.

Perperam leguntur in titulo Parisii, tanquam locus impressionis, cum potius haec editio *Lipsiae*, *sumtibus Caspari Fritschii*, sit impressa. Litteras habet rectas, paginas 16 et 95, editionis Parisiensis anni 1656 textum exhibet, sed neque eleganter, neque adcurate impressum; voces saepe habet falsas et corruptas, versus integros non raro plane omittit, ita ut sensus saepissime sit inextricabilis.

EDITIONES CALLIPAEDIAE.

Addita sunt Epistola ad Eudoxum et Encomium in obitum P. Gassendi.

VERSIONES ANGLICAE.

London, 1710. S., printed for John Morpheu.

Versio metrica, 8 et 264 pagg.; titulus: Callipaediae or an art how to have handsome children, written in latin by the Abbot Quillet, to which is added paedotrophiae or the art of nursing and breeding up children, written in latin by Mons. St. Marthe, physician to Henry III. of France. Now done into English verse. Textus latinus non exhibetur.

London, 1720. 12.

Versionem confecit Nic. Rowe.

London, 1729. 12.

Versionis auctor Will. Oldisworth.

VERSIO BELGICA.

Amsteldam, 1722. 8., by Gerard.

Imitatio potius quam versio, quum permulta sint mutata, demta et addita ex mente interpretis. 'Titulus: Huwlyks Mintafereel leerdicht begrepen in III. boeken door P. Le Clercq; 24 et 108 pagg.; additae sunt insuper quatuor icones a Folkema incisore aeri incisae, allegoricae indolis. Interpres Le Clercq, iunior aliquis poëta, aliud carmen didacticon scribere instituerat de nutriendis infantibus.

VERSIONES GALLICAE.

Amsterdam, 1749. 8., se vend à Paris, chez Durand et Pissot.

Versio plena, prosa oratione conscripta, cum textu editionis Parisiensis ex adverso apposito; 203 pagg.;

PROLEGOMENA.

titulus: La callipedie traduite du poème latin de Claude Quillet, ceterum neque notas habet, neque praefationem; auctor versionis esse dicitur Monthenault d'Egly.

Amsterdam, 1774. 8., se trouve à Paris, chez Dupuis et Bastien.

Versio metrica, non ubique fida et plena, cum textu ex adverso apposito; 20 et 409 pagg.; titulus: La callipédie ou la manière d'avoir de beaux enfans poème didactique. Traduction libre etc. Opus ipsum in libros duodecim dispescitur, sed textus ipsas illas mendas et omissiones repetit, quas habet editio Parisiensis secunda anni 1709. Auctor versionis esse dicitur Lancelin de Laval.

Bordeaux, an VII (1799). 12.

Auctor versionis esse dicitur J. Mar. Caillan, medicus Burdigalensis, natus 1765, denatus 1820,

CALVIDII LETI

I. B.


CLAUDII QUILLETI

CALLIPAEDIA

SEU

DE PULCHRAE PROLIS HABENDAE RATIONE.

LIBRI QUATUOR.



AUDTORIS PRAEFATIONES.

milli certe potissimos rationes exomermit. Hoc poema, Romaet in tuo natali golo, incoeptanti Lutesiaet in amplissimo tune victoris de giorido theatre, affectum, et numeria absolution subtuo nomini nuncupari gentiebat. Sid divim 31atuo nomini nuncupari gentiebat. Sid divim 31a-

EMINENTISSIMO

S. R. E. PRINCIPI

CARDINALI

IULIO MAZARINO CL. QUILLETUS ABB. D. S.

D_{IU} multumque cogitavi (CARDINALIS EMINEN-TISSIME) prudentisne animi foret, huius poëmatis editionem, sub sacri tui nominis auspicio, moliri. Ab hoc proposito me deterrebat tenerioris, nec abunde gravis, ut multi ex prima fronte censebant, argumenti conditio; cuius tractationem oculis tuis obiicere piaculum potius esset, quam deditae menti congruum, tuaeque dignitati conveniens obsequium. Ecquis enim (inquiebant illi) hominem vanum et in publica commoda peccantem non arguat, qui summum Gallici imperii administrum, ad ludicrae minusque seriae Callipaediae lectionem abducat? Omnem tamen ex animo scrupulum aliae, si non omnibus acceptae,

sur methono

mihi certe potissimae rationes exemerunt. Hoc poëma, Romae, in tuo natali solo, incoeptum; Lutetiae, in amplissimo tuae virtutis et gloriae theatro, affectum, et numeris absolutum suis, tuo nomini nuncupari gestiebat. Sic divini Maronis opus Georgicon, cuius exemplar et ideam, longo quamvis intervallo, assequi conatus sum, C. Cilnio Mecoenati, totius imperii Romani, ipsiusque Augusti imperatoris administro, inscriptum quondam fuit; ipsique non modo poëtae, sed et ipsius poëmatis fautori et patrono, aeternum apud posteros nomen decusque comparavit. Equidem Callipaedica haec Georgicis conferre non ausim,

- - Sic parvis componere magna puderet; attamen (absit dicto invidia!) nostri huius qualiscumque operis argumentum, Virgiliano antecellere, audacter asseverem. Enimverò quis segetes, etiamsi laetas, laetis thalamis, ulmis adiunctas vites sponsis ad pulchram sobolem delectis, boum curam, habendique pecoris cultum, ipsius hominis coalescentis, nascentis et adolescentis curae praeponat, nisi malus rerum aestimator haberi non erubescat? Sed et illa nobilis, virisque ingenuis adeo digna Uranoscopia, in nostro non secus ac in Georgico carmine, suum sibi locum vendicat, dum quo sidere pulchra proles utero concipiatur, accurate et forsan non illepide canimus. His liceat addere rationem, quae carmen hoc nostrum regibus etiam, regnorumque moderatoribus serio commendet. Quum

enim ipsorum imperium, imperiique moderamen, non in segetes aut pecora, sed in ipsos homines proprio et convenienti modo procedat; quis haec nostra de humanae pulchraeque prolis habendae ratione praecepta, ad regnorum decus roburque conducere, SALICISQUE etiam legibus adiungenda esse, non concedat?

Accipe ergo (CARDINALIS EMINENTISSIME) hunc genuinum animi nostri foetum, si non formae venustate, materiae saltem dignitate commendabilem — — et iam nunc votis assuesce vocari.

Hic sane opus esset, ut ad tam eximium argumentum egregie et apposite tractandum eximios quoque spiritus, versusque non publici saporis afferrem: sed quamvis id, pro ingenii modulo, praestare nequeam, tu tamen ipsius Mecoenatis erga me partes implere ne dedigneris. Hunc, ut rerum imperii gerendarum solertia, ceterisque tum belli tum pacis artibus apprime vincis; ita et eiusdem comitatem, lenitatem, et in politioris litteraturae cultores effusum amorem, te non solum imitari, sed et superare par est, tuique animi magnitudini consentaneum. Vale, et me tibi addictissimum nova benevolentia prosequere.

sur, hind inda obices exert', hour proposito and

ounder removerst, -main albi outine in bonne' alemen

argrananta nan dissemanoy, ancharit

ras, intecorunt ;

TYPOGRAPHUS LECTORI.

dission of commendablem

AUCTORIS PRAERATIONS

ouin ipsorum inperimace imperilque moderamen,

nesses de humanie pulcirneque profes babendae

saprador sirges and an regeneria decus roburges

condecere. saanters ere a wiam legibus adigu-

EN alteram, LECTOR BENEVOLE, Callipaediae, hoc est, lepidi de pulchrae prolis habendae ratione poëmatis, editionem, auctam, recognitam, et ipsius auctoris menti vere consentaneam. Quae, duobus abhinc circiter annis, sub fictitio Calvidii Leti nomine, Lugduni Batavorum typis excusa prodiit, pluribus non modo erroribus, sed et sententiis dissonis inspersa; mirum est, quantum huius foetus genuino parenti displicuerit. Hic, quo inscio opus immaturum in lucem eruperat, de necessaria eius animadversione, imo et castigatione statim et serio cogitaverat; atque ut legentium animos nova dulcedine mulceret, ei in promptu erant non pauca, quae carminis huius argumento non dissentanea, auctarii vice, adiungere meditabatur. Sed multi, per aliquot menses, hinc inde obices exorti, huic proposito moras iniecerunt; quas quum hodie tandem aliquando removerit, nunc sibi omnique bonae menti gratam operam navare posse feliciter exultat.

Accipe ergo (AMICE LECTOR) non corruptam aut adulteratam, sed nativam et legitimam, ipsoque accurante auctore editam Callipaediam. Ab hac exularunt aspera illa, quae, nescio quo fato, in Batavam editionem irrepserant; atque in eorum locum, potiora, ni fallor, subiectaeque materiae accommodatiora subierunt.

In primo quidem libro adiunctam habes $\pi \alpha q$ - $\epsilon \varkappa \beta \alpha \sigma \iota \nu$ seu excursionem in huius seculi avaros, qui pinguem dotem coeco desiderio prosequentes, hanc in aptandis coniugiis, nuribusque aut generis eligendis unice concupiscunt. Ipsa etiam ad amabilem nostrum regem L U D 0 V I c UM, pro nuptiis, apostrophe, quae, in priori editione concisior et salebrosior apparebat, nunc fusiori et aequabiliori stilo procedit, regiaeque sponsae ad pulchram sobolem assumendae rationem, ingenuo, nec forsan inepto consilio proponit.

Secundi libri initio, laetitia nuptialis amplius et amoenius explicatur. Et, quod in Batavo exemplari omnino deerat, adiecta sunt ad finem non illepida praecepta, quibus mascula proles satis apposita methodo progignatur.

In tertio, post vires imaginationis accurate perpensas, habes insuper adiectam, de praegnantis in curriculo vectatione, tractationem, consitique ad Sequanae ripas ulmarii, rhedarumque huc frequenter et affatim accurrentium descriptionem; quam legere animoque identidem revolvere non pigebit.

In quarto denique postremoque Callipaediae libro, praeter immutata et inserta quaedam, ad Italorum Gallorumque animorum icones spectantia, offertur tibi non insulsa in magnates patres animadversio; quod pueros suos vix ferulae magistrisve subductos, omnibus nullo discrimine sodalibus et coetibus admisceri concedant. Tum pro universi operis coronide, pacis iamdudum expetitae, proximeque futurae vaticinium accedit, quod Musis vatibusque debitam felicitatem, placidumque Callipaediae usum non inamoene pollicetur.

His te praemonitum volui (LECTOR INGENUE) ut, quae Batavis typis deessent, nostrisque accessissent, apprime pernosses. Hac ergo nostra opera amice perfruere, et quae δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι immutarunt et adiecerunt, aequi bonique consule.

month be save atombe ", terrah oahund fielgenre

perpensas, babes insupor adjectam, de pracenau-

has frequently of affatim congression description

illepidn praceptal quibus mascula profes

TOTIUS CALLIPAEDIAE OECONOMIA.

repente Calliopari, et post jacultati quietan

chro veniens a corpora vittas, humanaeque tum

-instre. insheuding among and's stadilab saidger

bas puribut distorquentibut indicativ. varialisque

Quarta libra, cotoria paullo proliziora, pui-

POEMA dispertitum est in quatuor libros. Primus orditur ab invocatione pulcherrimorum numinum. Exinde pulchritudinis, varie secundum varias regiones aestimatae, causam, ex apposita ad rem Pandorae fabula, deducit. Sponsorum ad pulchram prolem deligendorum conditiones exequitur, desinitque, imminente delectis sponsis hymenaeo.

Secundus, celebrato hymenaeo, leges in coitu servandas attingit. Astrologicas cautelas, siderumque ad formosam sobolem conducentium vires, expromit; tum quibusdam aliis regulis adiunctis, seminibus conceptis, absolvitur.

Tertius, signis conceptus explicatis, quaedam praecepta praegnantibus inculcat. Vires imaginationis in signandis foetibus extollit. Has probat ex formatione Chironis Centauri, cuius in Phillyrae utero coalitum natalesque describit. Earundem causas ex principiis Epicureae philo-

AUCTORIS PRAEFATIONES.

sophiae delibat. Tum partus quibusdam erroribus puellum distorquentibus indicatis, variolisque oris venustatem praecipue deturpantibus indigitatis, concluditur.

Quarto libro, ceteris paullo prolixiore, pulchro veniens e corpore virtus, humanaeque tum masculeae, tum foemineae, mentis pulchritudo, ex intellectus et voluntatis virtutibus emicans, tractatur; ita ut demum poëta, oblatae sibi derepente Calliopae, et, post inculcata quaedam virginibus et nuribus consilia, avolanti, valedicens, operi coronidem imponat. Haec est oeconomia totius nostrae Callipaediae. Hac fruere et laetare.

ad ron Pandous fabila, dedach. Scoussorum ad

polobriam prolem deligindorum conditiones exc-

whither desirations, imminer of decels appeals by-

servandas attingit. Astrologicas enucial, side-

running and formerson sobolem conducenting the

nationis in similarie fontibus excelling Has pro-

but ex formetione Chiconis Contanti, coins in

Philtyrae utere condition netaleque describit,

Earvadem causas ex principlis dépicarcae philo-

Tering, signie conceptus explicatis, enacdam

manage, all and a second a source of the

innetis, aquinibus outcoptis, obsidvitur.

CLAUDII QUILLETI CALLIPAEDIAE

. A LIGT A DESCRIPTION

Sandasanat comingo oninis Venus evalue organal

Inviting volden post fair reliaguers protein, of

Conjugile, preto quois nembro escola figures.

20 Vos mado, 'ques blandi geninits foeders, isnit's

LIBER PRIMUS.

QUID faciat laetos thalamos, quo semine felix Exsurgat proles et amoeni gratia vultus, Sidera quae lepidas fundant per membra figuras, Et quae vis animae geniali praesit amori,

- 5 Quae decora eximiam pulchro sub corpore mentem Commendent, clarisque hominem virtutibus ornent, Hic canere aggredior. Vos o pulcherrima mundi Numina, formosae Charites, tuque alma leporum Mater, in Idaeis cui quondam saltibus, aequi
- 10 Iudicio Paridis, formae victoria cessit, Idalios afflate modos: ne incompta venustam Materiem Musa infamet, sed carmine grato Discendam humano generi circumferat artem.

Fors erit ut nostra accipiant interprete sponso 15 Ingenuae praecepta nurus, si quando beatam Exoptent sobolem speciosaque corpora natis, Nec posthac homines foedis spernentur ubique

CALLIPAEDIA.

Coniugiis, prava queis membra exosa figura Sordescunt, turpique omnis Venus exulat ore.
20 Vos modo, quos blandi genialia foedera lecti Invitant pulchram post fata relinquere prolem, Attentis animis state et, si grata canemus, Nostra virescenti praecingite tempora myrto.

Principio, quibus in formis substantia pulchri 25 Consistat: quis frontis honos, quae blanda genarum Conditio, quae grata magis se vertice spargat Caesaries, quibus in labiis fragrantia libes Basia, quas teneris stringas amplexibus ulnas, Nosse iuvat. Sed enim variis sobolescit amantum

- 30 Quaestio dissidiis. Albam hic Amaryllida laudat, Huic Chloris subfusca placet, te flava comarum Retia Daphni tenent, tu nigros Tyrsi capillos Diligis et rutilis horres in crinibus aurum. Caesius hunc oculus ferit, hunc pupilla sub atro
- 35 Nigra supercilio ferventi corripit igne. Nec satis. Hic graciles procera mole puellas Ardet, carnosamque odit malesanus amicam. Tanta Cupidinea sub relligione vagatur Haeresis, occoecatque animum sua cuique libido.
- 40 Nec modo foemineam speciem contraria fingunt Sensa virúm: sed adhuc marium veneranda venustas Usque latet, variasque secat sententia gentes. Cernis, ut Aethiopes vultus candore coruscos Contemnant, Stygiisque colorem hunc civibus aptent?
- 45 Quis neget elatum convexo fornice nasum Continuo antiquis placuisse Euphratis alumnis, Ex quo conspicuum tali sub imagine norunt

LIBER PRIMUS.

Eoi regem imperii, qui Lydia iunxit Regna suis, traxitque opulentum in vincula Croesum? 50 Quid memorem niveo gaudentes corpore Gallos Prolixisque comis et apertae frontis honore? Quid fuscum Hispanum et nigri ferrugine tinctum Sanguinis, ingentes humili sub mole minantem Conatus, tumidoque frementem in sidera fastu? 55 Hic, licet occiduo et longa vertigine fesso Sole sub aethereas erumpat luminis oras, Se tamen ipse putat pulchrum, mollesque Britannos Spernit et oblongis Germanica membra lacertis. Unde tot in rebus claris discrimina, quaenam 60 Diversos hominum sensus causa abdita scindat, Musa refer, primosque retexe ab origine lapsus. Iam novus ornata mundus compage nitebat, Atque creatarum series pulcherrima rerum Nativas monstrabat opes, nondum impia secli

- 65 Pernicies nitidum ferro corruperat aurum. Eminus aurata fulgens testudine coelum Lucentes puro pascebat in aethere stellas: Nec densus quisquam e pelago surgebat in altum Halitus, obscura raperet qui nube serenum.
- 70 Undique mundities aderat. Tu Phoebe, micantum Astrorum princeps, nullis obnoxia velis Lumina spargebas, tua per vestigia currens Limpida nocturnas fulgebat Luna per umbras. Ipsa sibi adnatis saxis, animalibus, herbis
- 75 Aspera nec minima tellus-spectabilis arte Nil tamen obscoeni redolebat: at omnia purus Spiritus illaeso servabat ubique tenore.

CALLIPAEDIA.

Quippe sub haec teneri primordia candida mundi, Candorem retinebat homo, nec perdita proles 80 Flexerat obliquos recto de tramite mores. Unus erat cultus Superúm, non coeca libido, Non levis ambitio petulanti irrepserat orbi. Nec solus pictatis honos animique venustas Humanum genus ornabant, sed gratia cunctis 85 Insita corporibus, totiusque optima molis Temperies, formaeque decor per membra coruscans Pulchra incorruptae iungebat corpora menti.

Hunc ubi de rutilo concentum cernit Olympo Omnipotens, sauctumque vigere per omnia foedus, 90 Summum opus adiungamus, ait, coelique solique Delicias omnes Nympham cogamus in unam. Vix ea fatus erat, vastum per inane volantes Accurrunt operi species: crystallinus orbis Corpoream insternens molem se in frusta secari

- 95 Gaudet, ut aethereos Divae ducatur in artus, Sol capiti annectit radios, albentia frontis Marmora dat Phoebe, nivea inter lilia fingit Purpureas Aurora genas, mellita labella Efformat Venus, et reliquo se corpore fundit
- 100 Divus Amor lepida Charitum stipante corona. His adeo instructum membris specieque decora Protinus implevit vitali flamine corpus Divûm hominumque parens, atque apto nomine dictam Pandoram verbis sic interpellat amicis:
- 105 I formosa Deúm soboles, hominesque benigno Ore bea, tua te terris praesentia reddat Conspicuam, reserveque tuae miracula formae.

LIBER PRIMUS.

Scilicet humanis oculis (dum innoxius aevi Fulget honos) placet, ut pulchri natura patescat.

- 110 Tu tamen humanae si curas gaudia sortis,
 Et stabilem servare cupis per secla decorem,
 Quam tibi committo fatali semine plenam
 Pyxida, ne levior digitis reclude profanis.
 Si facias: mox foeda lues invadet in omnem
- 115 Progeniem, tibi nec turpis mutatio parcet.
 Dixit. At haec dicto velocius effluit astris,
 Et lustrans terras peregre haud Epimethea solum
 Visit, ut Ascraei referunt insomnia vatis,
 Ipsa sed in vulgus se prodens splendet ubique
- 120) Os humerosque Deae similis. Circumflua gestit Turba virúm obtutuque stupens haerescit in uno. Corporis hic habitum miratur, at ille comarum Auratos radios: niveo hinc candore corusca Frons micat, hinc spirat divinum vertice odorem.
- 125 Et (quod vix canerem, nisi sacro numîne Phoebus Innueret) Pandorae oculi, ceu luminis orbes, Aethereum decus addebant spectantibus : alto Sic rutilans Aurora polo ridentia passim Prata beat, pulchrumque solo dat pulchra colorem.
- 130 Una adeo cuncti sexus utriusque lepores Splendebant, dum recta hominum natura malignos Nescibat mores, sed honesta in lege manebat.

Ast ubi felicis mutatio degener aevi Humanae sobolis mentes ad devia traxit,

135 Protinus incoepit pravae contagia gentis Haurire, insanosque sequi Pandora furores. Quippe diu non illa stetit, quin, iussa supremi

CALLIPAEDIA.

Aspernata Dei coecaque libidine rapta, Sacrilega (o facinus!) reseravit pyxida dextra.

- 140 Unde statim vastas teter prorupit in auras Spiritus, ipsius qui virginis ora lacessens Continuo innatum frontis delevit honorem, Foedavitque genas, oculisque crepuscula crassa Offundens nulla decus ullum in parte reliquit.
- 145 Nec satis. In mortale genus de semine eodem Morborum numerosa cohors processit, et ipsum Infesta contage petens corpusque animumque, Humanae rationis opes commiscuit atris Errorum nebulis, genuinaque lumina vertit.
- 150 Hinc pulchri natura latet semperque latebit Humanam sobolem, nec erit, qui nubila densa Discutere et tantas possit reserare latebras. Ergo quid in tanta statuemus nocte? quod umbras Dissolvet iubar? adsis o rutilantis Olympi
- 155 Phoebe decus, radiisque novis nova lumina sparge.
 Scilicet in totum quamvis se fuderit orbem
 Contages, tamen haud aequalia damna recepit
 Omnis humus, pariterque gravi sub fomite sordet.
 Illa sed algentem regio quae vergit ad Arcton,
- 160 Quaeque per immodicos solis comburitur aestus, Turpibus ante alias horrescunt gentibus. Illa Immenso diluta mari turpissima gestat Corpora, queis lentos moles inhonesta per artus Spargitur. Hanc turpat foeda e fuligine surgens
 165 Sordities, crispique atra inter tempora crines,
 - Labrorumque tumor simis sub naribus extans. Nec tamen hic sileam, proprio quod Apolline princeps

LIBER PRIMUS.

Scribit Arabs: terras medio super axe locatas Temperie aequali mixtis cum frigore flammis

- 170 Gaudere, aeternumque boni dulcedine coeli.
 Namque duos utrimque polos summoque micantem Vertice quum spectent Libram, aequa lance calentis Divisos Phoebi radios cum nocte tepente Semper habent. Hinc innumeris ditissima tellus
- 175 Luxuriat donis, duplici se vere resolvit:
 Bis parit innumeros nullo conamine fructus,
 Bis tandem modicae persentit frigora brumae.
 Unde ego crediderim genita in regionibus istis
 Corpora temperie pulchra formisque decoris
- 180 Ornari, ni foedi habitus infamia fuscam
 Offerret speciem et nimii argumenta caloris.
 Ergo e limitibus zonae torrentis in ipsum
 Nonnihil inclinare polum, me iudice fas est,
 Si dulcem terrae genium pulchrosque colonos
- 185 Quaeris et antiqui monumentum insigne decoris. Tu modo sub calido Latio Hesperiaque rubenti Nusquam consistas, sed in ulteriora recedas Europae spatia, Elysio quo se aequore fundit Gallia felicique homines sub sidere pascit:
- 190 Praesertim irriguis qua se Turonia campis Submittit varioque resurgit in aethera colle. Hic ubi foecundis Liger almus repit ad Andes, Fluminibusque tumens loca foeta feracibus undis Alluit, et crocea nitidus splendescit arena,
- 195 Conspicias multas forma praestante nitentes. Pandoramque suo referentes corpore nymphas. Nobilis has passim mediocri in mole figura

2

Commendat: non crassa nimis, non squallida macris Artubus, at pulchro membrorum clara nitore. 200 Si frontem inspectes, tenero laevore corusca Prominet et molli descendens lactea clivo Efformat placidos oculis ridentibus alveos. Cerne genas, rubeo referunt suffusa colore Lilia, quae labii roseos comitantur honores.

- 205 Quid celebrem auratos crines? quid eburnea colla, Mammarumque decus spirans, et caetera dici Quae prohibet pudor et castae reverentia Musae? Nec tantum in nostris felix natura triumphat Virginibus, sed masculeo sub corpore pubes
- 210 Emicat, innuptis haud aspernanda puellis. Aspice, ut imberbes habitus laudabilis ornat Aequaque temperies pulchrae socia addita formae. Pallida non facies, non atri aspergine tincta Humoris, sed sanguineo spectabilis ostro
- 215 Excipit undantes sublimi e fronte capillos. Nec minor in reliquis membris praestantia: firma Compages per cuncta viget, formosa tororum Mobilitas mediaeque habilis proportio moli. Has adeo species nostri clementia coeli
- 220 Producit. Nec enim calido vicinius austro
 Nec gelido boreae, medium sed munere Divúm
 Clima tenens tepidas praestat viventibus auras.
 Ergo age (si nostras addiscere non piget artes)
 Haec memori sub mente geras: non omnis habendae
- 225 Vir mulierque vacet soboli, nec turpia dulci Corpora committas operae sacrisque hymenaeis. Quis tetram horrendo Noctem Phlegethonte subactam

LIBER PRIMUS.

Nesciat anguiferas Orco peperisse sorores? Quis nigri thalamos Ditis non horreat? atrum 230 Quae Cyclopa ferat virgo? non Mulciber ullam, Iudice me, Venerem premat, in fornacibus Aetnae Usque furens steriles infelix exigat annos. Sed mihi pulchra sapit, sano qui corpore fortes Connubiis aptat, taedisque ingalibus arcet

- 235 Invalidos: ceu quos miserae tormenta podagrae Affligunt, morbusve sacer, mentisque pudendus Error et insana infestans praecordia bilis, Aut pnlmonis edax ulcus pascensque medullas Ignis et exsucco veniens in corpore tabes.
- 240 Scilicet humanam ad prolem (mirabile dictu)
 Deciduum toto procedit corpore semen,
 Unde malos membrorum habitus, alteque repostas
 Visceribus patrum labes traducit in ipsam
 Progeniem, et natis vitam impertitur amaram.
- 245 Heu quoties vidi miseranda sorte creatos Aethereas querulis nequicquam planctibus auras Rumpere et innocuis nimium maledicere Divis! Ergo tibi inprimis sponsi sponsaeque legantur, Turpia nec pulchrae quaeras primordia proli.
- 250 Ecquis enim furor est? laetas dum poscis aristas Triticeaeque decus sobolis comedendaque farra, Haud unquam inverso tradis marcentia sulco Semina, sed flavum Cereris melioris honorem. Tu tamen interea humanam contemnere pergis
- 255 Sementem, nec clara tuae te gloria sortis Tangit, ut incolumes uteros uterique colonos Sincerumque petas valido de corpore semen.

19

Tene hominis natura latet? tene ipsa Tonantis Effigies? tene hic animus, cui sidera nota, 260 Cui mundi genus omne subest, haud possit inertem

Erigere, ut verae documenta capessere cures Artis, et aethereae condas pulchra atria menti? Diique Deaeque omnes, quibus alma cubilia curae, Queis hominum satio arridet, promiscua passim

265 Semina et infirmos thalamis arcete maritos Invalidasque nurus, sua ne primordia damnet Progenies voveatque Erebo Dirisque parentes. Tu modo, qui firmo servas molimine mundum Divúm hominumque parens, pravum consistere morem

270 Ne patiare: novus claro descendat Olympo Naturae genius, qui homini praecepta serendo Scribat et ad reliquos transmittat scripta nepotes.

Nec mihi sufficiant vegeta de gente parata Coniugia: est aliud superat quod caetera punctum. 275 Ne iuveni vetulam iungas vetuloque puellam, His nec laetus Hymen, nec amica lampade fulgens Allucet sponsis Iuno, succedit iniqua Tisiphone, accensa Stygio de sulphure taeda. Cernis, ut antiquo iuvenis malenupta marito

280 Amplexus gelidos invisaque basia vitet
Quotidie, lacrymisque genas suffundat obortis,
Tithoni exosum fugiens Aurora cubile.
O fortunatum, quem castis ignibus Atym
Deperiit Cybele! tantae si basia sicca

285 Delibasset anus, iuvenili robore cassus Paullatim effoetis animam liquisset in ulnis. Quippe senescentes artus invadit iniqua

LIBER PRIMUS.

Ariditas, qua vivificus consumitur humor Puberibus teneris. Libycos sic saepe per agros
290 Irrigui bibulis imbres suguntur arenis, Torrida nec pluvio saturatur sidere tellus. Praeterea tam dissimili, iuvenisque senisque, Semina temperie pugnant, ut si quis in auras Concordi tandem coitu proruperit infans,
295 Heu nimium misero languescat debilis aevo, Nec validis possit patriae succurrere nervis.

Haud tamen hic sileamus, ut auri sacra cupido, Immensae vel dotis amor, nostra optima passim Consilia et pulchras soleat contemnere leges.

- 300 Nimirum immodico si quis patrimonia censu Et multis gravidam nummorum millibus arcam Monstret et uxori promittat, protinus omnes Hunc ambire sibi generum matresque patresque Cernimus, et lepidas certatim offerre puellas
- 305 Conspicuo diti, quamvis huic viscera rodens Foeda lues nuptae contagia dira minetur, Quamvis vel tremulae languentia membra senectae Foecundamque negent Venerem thalamosque beatos, Atque infelici moveant fastidia sponsae.
- 810 O quantas lacrymas, o quanta hic taedia lectus Infaustus feret! eximium marcescere florem Aetatis, turpesque tori succedere fructus Aut nullos, miseranda nurus noctesque diesque Ingemet et Veneris ludos horrebit iniquos.
- 315 Quin etiam amplexus potioris amoena libido Si forte invadet teneram (foetentia nam quae Oscula et invalidum non execretur amorem!)

Quot moechis temerata domus sordescet? alendos Quot tibi turba procax dabit o curruca puellos? 320 Hic equitem, hic vernam, vicinum hic exprimet infans Civem aut bellacis frontemque oculosque tribuni. Quae tibi tot longis congesta pecunia crevit Aerumnis, tibi quae locupletes ordine longo Transmisere patres, pinguissima praedia, laevis 325 Numinibus cedent alieno indebita nato.

- Nec tantum haec privata domus dispendia speret. Ipsi etiam effoeto nonnunquam robore reges Masculeo, aut veteris steriles ob semina morbi, Infantes celsis in pulvinaribus ortos
- 330 Suscepere nothos. Quondam data iura pudendo Et sceleri et natae moechi de sanguine proli, Indignum quandoque caput diademate cinctum, Sceptraque supposito, o facinus! transmissa tyranno.
- Sic quoque divitiis quaecunque aut dote beata 335 Insignis celebratur anus, licet aspera rugis Ora gerat, lippis oculis et dentibus atris Horrida, clangosaque agitans praecordia tussi, Haec tamen insano si forte libidinis oestro Percita, connubiis inhiet serisque hymenaeis:
- 340 Non deerit iuvenis, qui illam sectetur amator Ingentesque affectet opes, nexumque iugalem Offerat et vetulae macilentum ad corpus anhelet: Ast ubi se ad multi communia commoda census Sentiet adscitum, paullatim tristia surgent
- 345 Taedia, et uxoris tetrum aspernabitur ignem: Virginis aut nuptae flagrabit amore coaevae, Dum gemet in vacuo coniux deserta cubili.

LIBER PRIMUS.

Hinc queruli erumpent fletus iraeque furentis Zelotypae, spretique atrox iniuria lecti. 350 Hinc etiam hippomane affuso mixtave rubeta Incautum audebit fatis urgere maritum. Unde ego communes coitus, et nescia pacti Coniugia optarem induci (nisi sancta vetaret Relligio) quippe ingenitis rationibus aequam 355 Eligeret saltem Venerem natura, nec aegris Misceret sana aut morientia corpora vivis. Usque adeo simili gaudentes flore iuventae, Et valida integris iactantes robora membris, Congruit ante alios geniali incumbere curae! 360 Nec tamen impubes pueros crudasque puellas Iunxeris. In vacuis nondum genitalibus humor Turget, at ingenua distendit mole lacertos, Crescentemque hominem partes diducit in omnes. Has ideo leges servandaque foedera dudum 365 Imposuit Themis, ut bissenum impleverit annum Foemina, si Veneris dulci indulgere labori Et firmam cupit ex utero deponere prolem. Namque ubi iam coepit muliebri in corpore moles Firmari, fervetque novo calor acrior aestu, 370 Tunc superest roseogue uterum circumalluit amne Sanguis, in annonam foetus et pabula nati,

Maturoque simul turgentes tubere mammae Inspirant blandum lascivi flamen amoris. Sic quoque dum maribus molli lanugine pubes

375 Induitur solidisque accedunt robora membris, Fertilis exsultat vigor et, Iunone secunda, Tunc licet uxoris blandos penetrare recessus.

His sane ordinibus mundi et rationibus aequis Coniugia aptantur, nec erit, qui talia pulchrae
380 Fundamenta neget sobolis thalamique beati. Interea dum tam lepida versamur in arte, Coniugibusque damus leges, en pulcher amanda Pubertate viget, valida qui Gallica gestat Sceptra manu, aeternoque patrum diademate fulget,
385 Cara Deùm soboles, coelo Lodoicus ab alto Missus, ut innocuis moderetur legibus orbem. O qualis decor ore nitet! quam regia toto Corpore maiestas animusque ad grandia surgens !

Hunc optant iam mille Deae: hunc spectabilis ardet 390 Nympha Tagi, Austriaci augusto de sanguine Ditis, Iungendosque novo nexu promittit Iberos. Hunc Lusitanis etiam suspirat ab oris Regia virgo gemens, Hispanaeque aemula flammae. Hunc etiam Eridani Nymphae Rhenique bicornis

895 Depercunt, certantque sacris incendere taedis. Tu tamen has omnes (nostrae o spes maxima gentis) Sedulus expendas, lectamque ad basia iungas. Scilicet haud ullam thalami regalis honore Digneris, cuius non ipsa inspexeris ora

400 Tu prius insertamque alto sub pectore mentem. Quis ferat insanum morem, quo numine coeco Excelsum sponsa ad lectum non visa vocatur, Eligiturque oculis alienis' regia coniux? Imo hoc in votis sit primum, ut pulchra iugali

405 Iuncta tibi vinclo et pulchro de sanguine creta Uxor adoranda faciat te prole parentem: Ecquid enim populorum animos subiectaque corda

LIBER PRIMUS.

Lenius afficiat, regumque ad numina flectat, Quam si formosam decorent diademata frontem, 410 Pulchraque sidereo maiestas fulgeat ore? Quid iuvet antiquo regnantum e stemmate sponsam Ducere, Iunonemve suis adiungere sceptris, Si fuscis obscoena genis et corpore foedo Vel nullum penitus vel turpem inspiret amorem,

- 415 Unde etiam ad regnum turpis se proferat haeres? Non latet ut crebris temeretur regia scortis, Quum ruit in vetitam Venerem famaque sinistra Regius uxorem nimium aspernatur adulter. Sic saepe exosae pertaesus coniugis olim
- 420 Iuppiter humanum promiscua stupra per orbem Intulit, et spuriis foedavit sidera natis. Eripe te his rex magne probris, contentus amanda Coniuge regales formosa prole Penates Auge, et conspicuos pueros in sceptra repone.
- 425 Quin etiam (si tanta loqui per numina nobis Sacra licet) posses minus alta e stirpe paratum Sumere coniugium, modo pulchra nobile forma Concordes gereret splendenti in corpore mores, Unanimique tuas leniret pectore curas.
- 430 Nimirum per connubia ingentesque hymenaeos Munimenta sibi quaerant, nutantia quorum Sceptra labant nec firma suis radicibus haerent. Sic tener elatam palmes desiderat ulmum. Sed quibus invicto populorum robore perstat
- 435 Maiestas, proprio reges se pondere librant, Vicini nec egent vano tutamine regni.

is more than any surger shall be

Anna " alling a manager bit patterner and parties

the designed of the second of the

These contractions and to be bound that contains man.

Dum tamen augusti decus ad sublime cubilis Prudenti praestans delectu quaeritur uxor, Me liceat coeptum Phoebo aspirante laborem 440 Persequi et optandas sponsis edicere leges.

LIBER SECUNDUS.

the which formation adding fragment investor

Exceleration character anaphrants

inside the prior that and bid activity is no

This cash orthogen

Rand, within Planbarn, indudarded toring and

SED iam legitimo sociati foedere sponsi Foecundos ardent coitus. Iam laeta peracto Officio e coena agnatorum turba recedit. Ipse puer saturo turgens abdomine Bacchus 5 Despicit effuso redolentia pocula vino Inversasque solo pateras. Saltante chorea Florentes annis pueros agilesque puellas Lassarunt crispo modulantes pectine chordae.

10 Hedymeles, dulcesque iocos et suavia cantans Basia felicis promisit pignora lecti. Imo et vesanum pectus moresque ferocis Palladis, et stolidae deridens vota Dianae Te solam, Cytherea, piis mortalibus aequam

Iam cithara insignis licito praelusit amori

15 Personuit: tua laetitiam studia alma beatam Praestare atque ipsi solatia blanda Tonanti. Te, formose Pari, meritis evexit ad astra Laudibus, eximiae quod debita praemia formae Donasses Veneri, saeva frendentibus ira
20 Supremique uxore Dei innuptaque Minerva.

Ast nimis insanum salibus tentare iocosis Haud veritus Phoebum, infando quod percitus aestu Oebalium sterili puerum vexavit amore, Excussoque caput quassarit amabile disco:

- 25 Te quoque, summe pater, Phrygii quod amore puelli Correptus tetro fervens indulseris igni, Contempsit: nam sola canens, quae utrimque resolvunt Oscula, perversum diris oneravit amorem. Morosi risere senes, risere verendae
- 30 Matronae castaeque nurus. Sed vesper amantes Sollicitat, Venerisque sacro micat aureus astro. Ergo abeas, inamoene Pudor, succedat amica Lampade ridentes agitans Hymenaeus Amores Atque maritalem iactans Saturnia taedam.
- 35 Vosque adeo, o passae genialia proelia matres, Virgineam intactae zonam discingite sponsae, Intrepidosque afflate animos, iam nuda mariti Membra Cupidineam fervent intrare palaestram. Congrediamur, ait, Paphioque terenda duello
- 40 Tempora ne perdat mora longior, invida cedat Turba nec optatam toties praecludat arenam. Quid validos miscere toros, quid nostra vetatis Brachia felici tandem se tradere luctae? — Parce furens animi iuvenis! compescere robur
- 45 Tantisper coecumque iuvat fraenare furorem.
 Nimirum crudum si ad laeta cubilia portas
 Ventre cibum, incoctaque agitas genitalia coena,
 Heu tenue effundes semen, nec idonea pulchrum
 Materies fundabit opus. Siste ergo per horas
 50 Saltem aliquot, dum cocta satis stomachoque subacta

Pabula nectareum spargant per viscera succum.
Dura quidem tibi lex, sed pulchrae congrua proli.
Quippe sophos docuit naturae providus ordo,
Qui matutino concrescunt tempore foetus,
Pulchrius effictam membris assumere formam,
Hoc ratio ipsa probat. Nam quum nox humida coelo
Labitur et dulcem spargit per membra soporem,'
Tum calor e summis subit interiora, ciboque
Acrius incumbit nativaque munia complet.

- 50 Robore tum vegeto ventris praemansa teruntur Frustula, quae speciem lactentis adepta cremoris In iecur irrepunt, rutiloque imbuta rubore Sanguineo totum perfundunt flumine corpus: Unde et foecundos latices genitalia sugunt,
- 65 Queis fervore novo spumantia semina manant. Namque intertextis plexu centuplice venis Spiritibusque iterum mixtis, concoctior humor Evadit vitaeque capax animique futuri. Intempesta igitur prudens vitare memento
- 70 Basia, ne studio Veneris frangente calorem Naturae turbetur opus, praecepsve libido Venturo lugenda ferat dispendia nato. Quis nescit crudo distentum nectare quondam Indulsisse Iovem Iunoni, atque inde creatum
- 75 Vulcanum turpem coelique ex arce ruendum ? Hic adeo informis vultu membrisque pudendus, Ut nec eum mensa superi Pallasque petito Sit dignata toro, foedo sed corpore spretum Iusserit ad calidum Veneris migrare cubile.
 80 Haec etiam omnimodis nullo discrimine iungi

Sueta viris talem hunc fastidit saepe maritum, Connubiique sacras gaudens contemnere leges Saepius innumeros admittit ad oscula moechos.

Nec satis est instantem operi atque ingesta coquentem 85 Praepropero coitu non abduxisse calorem, Est aliud, quod nosse iuvet. Tu respice solers, Qua coeli facie, quo sidere coniugis arctos Amplexus subeas foecundaque basia libes. Non etenim tanti refert, quo lumine primos

- 90 Vagitus infans édat maternaque rumpat Vincula et exiliens utero se prodat in auras, Quanti, quo radio, quibus astris semine utroque Concepto humana incipiat coalescere moles. Scilicet hiscenti qui fertilis humor in alvo
- 95 Conditur et calidis fervens congressibus haeret, Sidereos magis influxus supremaque fata Excipit et valido cedit mollissimus astro. Sed quis tanta queat summi recludere mundi Arcana et pulchras fatorum evolvere leges ?
- 100 Tu Dea, quae rutilis celsum caput inseris astris, Uranie, cui sordet humus, cui sidera tota Se pandunt, rege cantantem coelestia vatem. In pulchro labor est et nostram gloria Musam Pulchra manet, si divinas quas condimus artes
 105 Numine felici inspiras atque ora resolvis.

Nimirum aurato quod fulget fornice coelum, Quaeque coruscanti scintillant lumine flammae Aetheris, haud mera sunt oculis spectacula nostris. Non ideo innumeras stellas inspersit Olympo 110 Omnipotens, ut nos pictura pascat inani,

LIBER SECUNDUS.

Altera condendi ratio fuit optima mundi. Nonne vides, ut diversis surgentibus astris Aestusque pluviaeque et agentes nubila venti Temperie varia terras, pontum, aëra mutent?

- 115 Quis neget imbriferas Hyadas? quis Oriona nimbos Cogentem? Viden' ut ferventes Sirius agros Urat et irriguos sitiens exsorbeat amnes? Quid memorem summo coëuntes aethere summos Fatorum auctores? Saturnum falce tremendum
- 120 Sanguineumque Iovem et spirantem proelia Martem ? Horum si iunctos rabidus Leo colliget ignes, Heu quot subiectas perdent incendia gentes! Funera quot truculenta dabit furialis Enyo! Mutatis rerum vicibus subversa fatiscent
- 125 Imperia, atque novi venient ad sceptra tyranni. Talia congressu simili coëuntia quondam Sidera Pompei movere et Caesaris iras, Romaque Thessalicos foedavit sanguine campos, Et (vatum nisi vana fides) quae nunc quoque Gallos
- 130 Hispanosque fero committunt Marte ruentes, Armatosque adigunt in mutua vulnera reges, Haec eadem sunt fata poli: nam sidera mixta Saturni, Iovis et Martis iunxere malignos Ignes, qua rutilus distendit brachia Chiron. —
- 135 Necnon quae tetrum dispergit in inguina virus Foeda lues, Venerisque usus corrumpit amoenos, Iisdem sideribus iunctis producta refertur. Namque ferunt ipso quo tempore turpis in orbem Irrupit labes, contagiaque horrida fudit,
- 140 In Cancro sidus Martis coiisse furentis,

Et qui liventi Saturnus nigricat astro. — Sed quid tantorum resero penetralia Divúm, Summarumqne vices rerum causasque retexo? Expediam pulchros quae fingant sidera natos, 145 Et quae nos docuit pulcher dictator Apollo.

Antiquo fama est homines doluisse sub aevo, Et Superos quondam crebris tetigisse querelis: Plurima quod passim foedis natalibus orta Corpora in humanam ferrent opprobria gentem.

- 150 Nescio quo coeli vitio, quo semine pleni Tunc uteri illepidam fundebant undique prolem: Tunc rarus decor ornabat sponsosque nurusque. Ergo ut sorditiem hanc summa despexit ab arce Coelicolúm princeps, Divos Divasque faventes
- 155 Coniugiis rutilas accersit ad aetheris aedes.
 Advolat ante omnes pictis pavonibus auras
 Pronuba Iuno secans, sequitur Cythereïa mater
 Vecta Cupidineis vastum per inane columbis.
 Accurris Lenace Pater, tuque inclyta cultrix
- 160 Auricomae segetis, (quis enim sine numine vestro Fortiter uxori incumbat Veneremque frequentet?) Concilium magnum complet formosus Apollo.
 Consedere Dei atque Deae. Tum Iuppiter alto Exorsus solio paucis humana recenset

165 Taedia et infames turpi propagine terras.
Dumque haec omnipotens expendit opemque requirit,
Delius assurgens, postquam est data copia fandi,
Talia voce refert: hominum maleprovidus usus,
O Superi, et celsi damnanda inscitia mundi
170 Illepidos generant pueros turpesque puellas.

Atque ut cuncta meo de sidere sidera pendent, Fas mihi sit coeli pulchras exponere vires, Nec vulgata loqui. Obliquo qua cingitur aether Zodiaco, astrorum rutilantes cernitis igues

- 175 Claraque bissenas referentia signa figuras, Hinc oris fluit omne decus pulchrique venustas Corporis, hinc etiam vultus deformis origo. Nam dum prolifica fervent genitalia lucta, Si simul emerget fugientis corniger Helles
- 180 Vector et ignito in coelum se vellere tollet,
 Quae tunc concipiet, nil pulchri proferet uxor.
 Oblongum pueri collum, nec idonea crura,
 Incurvumque caput defixaque lumina terrae,
 Duratae cutis asperitas niveique capilli
- 185 Corporis immani meli iungentur inepte. Praecipue si Saturai fax improba tetris Inficiet radiis ortum vel Martius ignis, Quippe abigunt omnes ex omni parte lepores Haec invisa bonis infaustaque sidera natis. —
- 190 Nec magis arrident radiantia cornua Tauri, Aut transversa tuens oculus violentius astrum, Pleïadumque chorus. Pulchro licet ore superbae, Pleïone genitae, matris pulchra ora referrent, Nil tamen efformant lepidum, nisi Cynthia, nostra
- 195 Luce micans, leni radio candentia fingat Membra creetque cutem blando laevore coruscam. De Taoro quid plura? satus sub sidere bruto Oblougas infans nares nimiumque patentes, Pinguia colla, oculos turpes et lumine torvos,
 200 Illepidam frontem, rufos per tempora crines,

Nigra supercilia et magno de pectore raucam Vocem habeat foedamque agresti corpore molem. — At Geminis decor omnis inest formaeque venustas. Hos Helenae pulchros, concordia pectora, fratres

- 205 Et puro Ledae prognatos sanguine, coelo Donavit pater omnipotens, voluitque beatam Innocuo semper nexu producere prolem. Nec tantum lenes oculos ridentiaque ora, Et niveum praestant per laevia membra colorem,
- 210 Sed blandos animi mores et lumen amoeni Ingenii, placidasque artes, gratamque loquelam. Scilicet his Maia genitus dominatur in astris, Facundasque serit vires, queis gratia mentis Corporis ingenui molem comitatur honestam. —
- 215 O quam dissimiles radios ex acquore surgens Obscoenus Cancer concepta in semina vibrat! Hic ex immundis foede conflatus asellis, Et turpes pandens chelas, deformia confert Membra, oculos parvos, tetros nullo ordine dentes,
- 220 Pinguis aqualiculi gibbum, gracilesque lacertos, Atque humili toto contractam corpore molem. — Sed quae detraxit Nemeaeae claviger heros Terga ferae, urenti fulgentia in aethere flamma, Haec flavos praebent crines oculosque feroces,
- 225 Pectora lata, artus longos proceraque membra.
 Ecquid enim humani furialis bellua possit
 Conferre, Argolicos quae cum disperderet agros,
 Herculis indomita meruit succumbere clava?
 Et quamvis solium rutilo hoc sub sidere dudum
 230 Fata mihi dederint, fausto vix lumine possim

LIBER SECUNDUS.

Frangere naturam turpem rabiemque Leonis. — Hunc sequitur Virgo nitidis spectabilis astris, Iustitiaeque Astraea tenax, quae ferrea secla Insanumque solum fugiens successit Olympo.

- 235 Cernitis eximiam lucem qua Spica coruscat, Aemula fax Iovis innocui, non purior ignis Scintillat radiisque uteros melioribus implet. Virginis ergo oriens sidus foecunda fovebit Semina formoso influxu, speciesque decoras
- 240 Laudandosque habitus vultusque inducet amandos. —
 Nec minus oblectant orientis lumina Librae.
 Hic, Charitum regina, domum sedemque locasti.
 Viribus hinc validis, facie pulcherrima fingis
 Corpora, formosos pueros lepidasque puellas.
- 245 Novi equidem hoc signo Saturni sidus iniquum Exaltare suum robur, fuscumque colorem Per reliquos artus infesto lumine spargi. Sed tua praecellit virtus, Cytherea, tuoque Munere se nivea profert albedine vultus. —
- 250 At quis ferre queat, quae teter ab acquore surgens. Scorpius illepidis deturpat membra figuris? Ille venenata verrens magnum acthera cauda Pulchrum odit: parvos oculos rufosque capillos Ingenerat, magnosque pedes, oblongaque crura.

255 Has vires sortitur Orionis interfector Sordidus ac putri telluris pulvere cretus. — Phillyrides vero Chiron, praeceptor Achillis, Quem Divům pietas pulchro donavit Olympo, Non ita deformat natos: nam si exerit undis
260 Aut caput aut humeros aut tensae spicula dextrae.

Conceptus beat et formosis influit astris. Ast si posterior cauda fulgebit equina, Non ita felici turgebunt semine matres. — Quis Capri hirsuti torpentia sidera nescit?

- 265 Haec horrenda domus Saturni turpia quaeque Conferet et natos vix ulla ex parte beabit. — Hinc Phrygius puer exoriens urnaque benigna Fertilis ad pulchram disponet semina prolem. — Aequorei demum Pisces, quibus humor abundat
- 270 Frigidior cassaeque haereut in corpore vires, Producent capita exigua, exilesque lacertos, Distortam formam et parvae compendia molis. — Quid loquar oppositis errantia sidera flammis Luceque quadrata pulchrum corrumpere Olympum?
- 275 Quis nescit trini radii et sextilis amicos
 Influxus ? si praesertim tu coelicolum rex,
 Tuque Cypri regina, astris fulgebitis aequis
 Prosperaque optatae dabitis primordia proli.
 Nec latet ad lepidam sobolem conducere vernos
- 280 Amplexus, laeto quo tempore parturit omnis Natura et radiis turget vitalibus aër. Sed calor aestivus, quo fervet torrida bilis, Multus et in tenues vanescit spiritus auras, Effoetaeque fluunt vires, vix sufficit almae
- 285 Progenerandi operae. Autumni vix tabida confert Temperies aut vesanae inclementia brumae. Ergo imprudentes homines nimiumque salaces Nec faustos satagunt radios nec tempora laeta Eligere, ut pulchrae sobolis fundamina ponant. —
 290 Assensere omnes Superi, iussuque Tonantis

LIBER SECUNDUS.

Sculpta haec in crocea divina effata papyro, Quae dudum in sacri penetralibus abdita Pindi Nunc mihi sidereae panduntur munere Divae Uranies, nostra cui nil iucundius arte.

- 295 Vos igitur, vos dulce patris cognoscere nomen Qui cupitis, pulchrosque in secula fundere natos, Conspicite attenti, quo tempore, quave sub hora Quodlibet emergat sidus, quo lumine tactum Saturni, Iovis aut Martis, quos Delius ignes
- 300 Torqueat in Venerem, Lunam Atlantisve nepotem. Nec vos hoc studium deterreat, omnia nam sunt Perspicuis tabulis signata volumina coeli Atque in ephemerides recta ratione relata, Quae legere haud pigeat. Sed et horis bis duodenis
- 305 Quotidie aetherei vertigo absolvitur orbis, Ut quocumque velis sub sidere basia figas. Nec satis est, pulchrae qua coelum congruit arti Noscere et ad Venerem magis aptum assumere tempus, Sunt alia, o sponsi, vobis momenta tenenda.
- 810 Ne premite uxores (quidquid prurigo fatiget), Dum fluit in latebras uteri multaque pererrat Menstruus illuvie reseratque cava oscula sanguis. Si faciatis enim, coenosa uligine semen Extinctum forsan coitu vanescet inani,
- 315 Nec dabit optatam turpis lascivia prolem.
 Non secus ac madidos si tritica sparget in agros Agricola imprudens, laetas haud cernet aristas, Rustica nec flavas cumulabunt horrea messes.
 Si tamen humentem qui stillat sanguis in alvom
 320 Non vetet impuro coëuntia semina nexu.

Quam misera emerget proles! Elephanticus infans Nascetur foedaeque feret contagia leprae: Quippe venenata, qua sordent menstrua labe, Hac etiam pueri radix vitiata laborat.

- 325 Ecquid enim faece hac muliebri tetrius usquam est? Si cadet in vites effusa saburra novellas, Si teneras fruges aut insita germina tinget, Omnia marcescent subito quasi fulgure tacta. Si canis hanc faecem sitienti glutiet ore,
- 330 Hunc aget insanum rabies exorta repente.
 Ergo huius veneris lutulentas spernite, sponsi,
 Illecebras, nitidisque uteris inspergite semen. —
 Vos etiam, o lepidae uxores, quae grata virorum
 Basia confusis labiis ulnisque fovetis,
- 835 Proh pudor! haud natibus nimium crissantibus almam Perturbate operam: crebris subsultibus omnis Mascula vis utero vix connivente fatiscet, Quaque subintrarat refluet disperditus humor. Imo et foecunda si forte haerebit in alvo,
- 840 Motibus immodicis excussum semen utrimque Invalidos foetus divulsis partibus edet,
 Nec vestri optando gaudebunt robore nati.
 Namque ut naturae penetralia coeca recludam Solertesque oculos subeat genitalis imago,
- 345 Hacc legite atque uteri genuinam attendite formam.
 Est locus in spatiis latitans abdominis imi
 Distinctus modica cavitate pyrique figura,
 Ductilis hunc membrana rotundaeque instar alutae
 Efformat, quam vena duplex, arteria, nervus
 350 Sanguine spiritibusque rigant e corpore toto.

LIBER SECUNDUS.

Hunc uteri fundum vocitant, hunc linea recta
In dextrum laevumque secat: mas creditur alveo
In dextro, in laeva coalescere foemina cella.
Hac via per ductum oblongum, quo penis amice
855 Stringitur et calidum semen iaculatur in antrum,
Collum uteri physici dixere, huic intima cervix
Adnata abstrusos claudit mira arte recessus,
Dum ruat in venerem rigida tentigine fervens,
Et pulchram meditans valido molimine prolem
360 Sponsus aret dulci naturae vomere campum.
Quippe ad masculeum semen se proripit hiscens
Os uteri, suctuque cavam prolectat in alvum
Spumantem humorem et muliebri semine miscet.
Sic ergo in sese cavitas uterina reducta

- 365 Subsidit, cogitque arctis amplexibus albam Sementem, humani foecunda exordia nati.
 Qualia ab ingesto persentit gaudia succo Ventriculus, quem dira fames divellit inanem, Talia concipientem uterum solatia replent.
- 370 Unde agiles nimium motantesque inguina coxae Delicias omnes effusaque semina perdunt.

Nec mihi displiceat, quorundam hic vota parentum Rite secundare et gratam praescribere normam, Qua generare mares valeant, nam mascula proles

375 Stemmata magnorumque decus sustentat avorum.
Nec desunt, qui foemineam sermone maligno
Dedecorent sobolem: pravo quasi devia lapsu
Frustrataque opera natura invita puellas
Gignat et in terras effundat amabile monstrum,
380 Sed stolidum errorem melior sententia vicit

Et blandum merito sexum donavit honore. Nos tamen interea maribus praecepta serendis Scribamus, dudum ut vigeant ingentia regum Nomina patritiique alta de gente nepotes. 385 Imprimis vegetos vivoque calore micantes Exultare mares, recta ratione periti Agnovere sophi. Suadent hoc firma virorum Robora masculeoque acres sub pectore vires,

390 Ingenium et lougo mens indefessa labore. Ergo ut masculeam certo conamiue prolem Coniugia instaurent, calido sibi sanguine venas Impleri apposita victus ratione laborent. Ecquis enim in vasis semen genitale subactum

Impavidique animi vigor et civilibus aptum

- 395 Sanguineo ex humore neget, quum plurimus album Spiritus inducat spuma candente colorem? Unde dapes calido humentique per intima succo Confertas iuvet ingerere, ex his viscera ut almos Continuo eliciant ad mascula semina rores.
- 400 Quin etiam aëreis turgere alimenta necesse est Spiritibus, dulcique uteros gaudere vapore, Si tibi mens stabiles maribus firmare Penates. Hic tales numerare cibos me recta docendi Lex adigat, nisi foecundis hos prodiga passim
- 405 Natura uberibus dextraque effundat aperta. Sufficiat geniale ad opus celebrare Lyaei Munera laetitiamque Dei: nam vitis amicos Masculeam ad prolem praebet iucunda liquores, Praecipue quae nectareis Burgunda racemis
 410 Luxuriat, vel quae Campana exultat in ora,

LIBER SECUNDUS.

Aisiosque hilarat pretioso palmite colles. Vos ideo, o lepidae uxores, queis mascula cordi Progenies, modici rutilautia pocula Bacchi Ne pudeat miscere cibis, laetisque maritis

- 415 Concordi optatam ad sobolem vos iungere victa. Quin et temperiem vobis natura tepentem Indidit humentesque uteros, quos fervor Iacchi Exacuat maribusque aptam contemperet alvum. Nec tamen immodico vos indulgere iuvabit
- 420 Lenaeo, nimiis vini stagnantia rivis Viscera nativum minuunt vesana calorem, Nec dare sufficiunt maribus primordia firmis. Nonne mero Liber nimio prolutus amicam Dum strinxit Venerem temulentaque basia fixit,
- 425 Obscoenam genuit crudo de semine natam Nodosis pedibus pallentique ore Podagram? Usque adeo moderata regat prudentia potus. Nec tantum patrem Bromium, sed et oscula matris Idaliae modico ore petant, quos masculus haeres
- 430 Tangit et ingenui cognomen nobile nati. Nimirum amplexus crebri nativa caloris Munia corrumpunt, aqueoque serosa liquore Semina foemineae reddunt accommoda proli. Ergo ubi rara venus subigendis tempora succis
- 435 Aequa dedit, licuitque penum cumulare calentem Prolifici humoris, mox sidera mascula lacti Vir mulierque notent, calidis coëantque sub astris Qualia sunt Aries, Gemini, fulvique Leonis Sidus et aethereae rutilantia lumina Librae,
- 440 Chironisque micans fulgor, radiantis et Urnae.

Errantes etiam stellas coelestis alumni Uranies aptas maribus novere creandis, Saturnum, calidumque Iovem Martemque ferocem, Teque o iucundae lucis dator auree Phoebe,

- 445 Quo cuncta expanso spirant viventia mundo. Unde ubi masculeo in signo fulgebit Eous Iuppiter aut rutilo foecundus lumine Titan, Exercete operam dulcem Cypriumque laborem. Matutina solent etiam producere gratos
- 450 Basia laeta mares, longa nam cocta quiete Semina robustis ponunt fundamina natis. Nec satis est, utero calido excepisse feracem Sementem, est aliud soboles quo mascula surgat. Seminei simul ut rores ab utroque parente
- 455 Decidui in blandos uteri subiere recessus, Protinus in dextrum latus inclinata recumbat Alma uxor: dextro sed enim concepta sub alveo
- Semina masculeam formabunt fervida prolem. Quis nescit laevis dextras praecellere partes,
- 460 Confertoque vigens corpus refovere calore? Unde mares perhibent dextris de partibus ortos. Imo et naturam quos arte iuvare parentem Cura tenet, stricto laevum constringere nodo Testiculum satagunt, dextro ut de flumine totum
- 465 Semen eat, nec firmo operi fons laevus inundet.
 Sic ubi robustos operosa ad aratra iuvencos
 Atque aptanda iugo colla optavere bubulci,
 Florentes annis tauros, laevisque revinctos
 Testibus, in pulchras incendunt rite iuvencas.
 470 Tanta mares passim gignendi cura fatigat !

42

LIBER SECUNDUS.

Quid pronum hic laudare viri, uxorisque supinum Concubitum iuvet? horrendas quid pandere causas Informis molae? quid monstra? quid Hermaphroditos? Omnia iam vulgata, sed et mihi casta Camoena

- 475 Ora verecundo monstrans suffusa pudore Obstrepit et leviter vulsas admurmurat aures: Lascivum calamum siste, inquit, honestaque verba Ingenuam condant castis sermonibus artem. Fescennina pudent Musas, et coelibe vate
- 480 Digna parum Paphiis sunt admiscenda choreis, Obsequor et Cypriae reticens mysteria taedae Iam coalescentes accingar dicere foetus.

Horrive, et admission semie testais volupias, ""

Orders outsit institute dansent, mensorente retracht.

STingato redundant (never an inchester barponiti

Chesar adhibered shras. Phogenatura incurs geomet

"I frame any barg and singer service os stop bas.

received et heading of side heading to conserving

Oct bede committe confequence semina forfret-

You midde, Phieridee, 'cashing muchas filment,

Crebra sound vesterary of flarmin perdagon ad anreas.

Priemannin Vormeran, uppilebrume in open improba

Amplicas distance budgers dabe, possis accelus

Nameral Aughlinge and an is prairie astrony

15 Parcito, M. Voneria Seperitain paging unnen vill

LIBER TERTIUS.

LIBER SECTORING

Oald graams, hie laddate viri, avorieque angia

Campin fam andresta, seed on mild capity Comorph

ERCO ubi conceptus certissima signa recentis Elucent, ut, qui dulcis genitalia tentat Horror, et admissum semen testata voluptas, Osque uteri penitus clausum, mensesque retenti, 5 Hincque redundanti turgentes sanguine mammae, Protinus ut pulchri concrescant membra puelli Curam adhibete nurus. Praegnantum incuria germen Corrumpit plerumque obtortaque corpora reddit. Sed quia se nostrae coepit iam prodere menti

- 10 Natura, et lepidos placuit penetrare recessus, Dicamus, qui foeta uxor se tempore primo Conceptus geret, ut pulchra incrementa capessant, Qui bene commixto coalescunt semine foetus. Vos modo, Pierides, castissima numina Musae,
- 15 Parcite, si Veneris repetitum pagina nomen Crebra sonet vestrasque iterum perducat ad aures. Amplius huic nullam laudem dabo, pestis acerba Praegnantum Venus est, pulchrumque opus improba foedat.

Namque Cupidineo mulier si pruriet cestro,

LIBER TERTIUS.

- 20 Conceptumque novo turbabit semine semen, Forte superfoetans, conniventisque recluso Ore uteri, male concretam superingeret offam. Aut motis coitu nimio, haud impune, pudendis Vix coeptum crudo foetum deponet abortu.
- 25 Ceu quum vere novo cerasuntis fertilis arbos Parturiit flores, rubri primordia fructus, Pulchraque virgineis promisit fercula mensis: Huius si tencros agrestis dextera ramos Concutiet motu nocuo, spem diruet omnem
- 30 Aestivae Pomonae et primula munera perdet. Concubitus igitur crebros, quos foeta frequentat, Quis non damnabit? quum nec lasciva capella Obscoenaeque lupae subeant hircosque luposque, Dum gravidos gestant accepto semine ventres?
- 35 Sed locus hic, coeptique operis subiecta requirat Materies, ut praegnanti quis victus alendae Sit melior, pulchraeque canam praecepta diaetae: At quoniam docti haec passim scripsere medentes, Nunc mihi praecipuum labor est attingere punctum.
- 40 Ut primum humana commixtum ebullit in alvo, Aeternoque animo fundat pulchra atria semen, Tu satage, o praegnans, ne tristibus anxia curis Atra melancholicae offundas phantasmata menti, Nec turpes oculis facies aut sordida monstra
- 45 Obiicias, simulacra tibi obversentur ubique Formosa et lactos semper recreantia visus. Namque ubi fervet opus naturae, spiritus alto De cerebro affusus calida se miscet in alvo Prolifico humori, partesque hunc versat in omnes,

- 50 Quasque gerit species invicto robore cudit, Unde novam sequitur subiecta potentia legem, Formatrixque typo nonnunquam cedit iniquo. Sic ubi triticea in mactra diluta tepenti Flumine fermentoque acri praegnantia turgent
- 55 Farra, tumetque calens ferventis massa farinae, Si manus adveniat pistoris, crustula fingit Omnimoda et libi genus omne omnisque figurae, Sic quoque semineam versant phantasmata molem. Nec solum haec sero sunt observata sub aevo,
- 60 Aut veteres latuere sophos, nam quis tua nescit Semiferis horrenda toris natalia Chiron?

Oceani proles pulcherrima Phillyra quondam Saturni pectus rapido inflammarat amore, Utque senex tantae impatiens incendia flammae

- 65 Ferre diu haud poterat, tenerae insidiatur amantis More Dei, et lepidae molitur stupra puellae. Forte in natali ludebat littore Nympha Nerëidum comitata choro, quum falcifer ardens Hanc rapit et nemorum latebrosa in devia ducit.
- 70 O quantos gemitus! quanta o suspiria fundit Phillyra, dum raptum sibi virginitatis honorem Sentit et hirsuti foetentia basia Divi! Hanc mater Cybele coelo exaudivit ab alto, Lascivumque olidi scelus indignata mariti
- 75 In medium irrumpit, violataque foedera lecti Ulta voluptates et adultera gaudia turbat. Hanc adventantem ut vidit Saturnus, equina Ocyus indutus specie se subripit irae Zelotypae uxoris, sylvaque reconditur atra,

LIBER TERTIUS.

- 60 Dum gemit arborea deserta puella sub umbra Virgineum florem excussum labemque pudoris. Nec tamen interea senis insinuata salacis Semina pulchrum uterum formosa prole bearunt, Sed postquam noni accedunt fastidia mensis,
- 85 Maturumque uterus gestit deponere foetum: (Horresco referens) cauda se prodit equina Semiferus dorsoque et cruribus hispidus infans. Quis memorare queat, quos pulchra puerpera fletus Fudit, inhumani partus opprobria lugens?
- 90 Vos, o coerulei mitissima numina ponti, Nerëides querulae miseratae damna sororis, Dicite, quae vestros lacrymarum copia fluctus Turbavit? quo planctu imae gemuere cavernae? Mene (ait) immeritam stupro violavit iniquo
- 95 Antiquus Divùm pater, ut mea viscera fundant Prodigia obscoenae prolis monstrumque pudendum! Quin potius, Lucina, tuo exanimata furore Occubui, et dirus properavit funera partus! Non adeo invisum Superis caput astra malignis
- 100 Obruerent radiis, peioraque fata pararent.
 Dixit et immodicis animique et corporis aegrae
 Torminibus mediis languens vox faucibus haesit,
 Et gelidis maduere udi sudoribus artus.
 Hanc ubi deficientem animo pia turba sororum
- 105 Cernit, opem medicam subito parat, atque liquore Cardiaco actutum dilutam porrigit ambram, Quam pater Oceanus divino promit ab alveo, Ut fugientem animam recreato in pectore sistat. Utque novas sensit vires lucemque reductam

- 110 Nympha gemens, coepit moestas iterare querelas, Tartareasque domos Stygiamque optare paludem: Dum levis obrepit somnus, qui fessa benigna Membra levat requie, et cerebro phantasmata laeta Obtendens varia demulcet imagine mentem.
- 115 Tunc se sopitae Nymphae dedit altera Nympha Conspicuam, variis rerum celeberrima formis Phantasia, instabilis vultu, nunc mole pusilla, Nunc ingens, nunc splendenti candore corusca, Nunc atris obscura genis, exinde colore
- 120 Diverso exultans diversisque inde figuris. Hauc rerum innumerae species, hanc ordine nullo Circumstant simulacra modis volitantia miris. Sed lepido tandem ore nitens, hac voce iacentem Aggreditur, somnique leves intercipit usus:
- 125 Parce genas lacerare, tui causa ipsa doloris Phillyra, quae crebra Saturnum mente revolvens Acris equi forma indutum hinnituque ferocem, Hoc corrupisti foedo phantasmate prolem. Namque ego, quae species humanis mentibus omnes
- 130 Offero, et internum moveo per singula sensum,
 Te quoties vidi recolentem hirsuta ferini
 Membra Dei, quum te stupratam liquit opaco
 In nemore, uxorisque procacia iurgia fugit.
 Haec fera quadrupedis species, haec turpis imago
- 135 Usque tuo obversans animo calidisque recepta Spiritibus, pulchrumque uteri bacchata per antrum, Humano dorsum capiti coniunxit equinum. At tibi praegnanti si mens non laeva fuisset, Nec me tam foedam toties tibi pingere formam

LIBER TERTIUS.

- 140 Iussisses, tua divino de semine proles Incorrupta foret nec turpi mixta figura. Ut tamen aegroto quaedam solatia cordi Ferre queam, tristemque animi sedare dolorem, Accipe Phillyridem quae sors manet optima natum.
 145 (Credere nec mihi te pigeat, nam conscia fati Saepe fui, nec semper inania somnia fingo.) Ille tuo exiliens utero qui prodiit infans,
 - Quum pueri et iuvenis crudos superaverit annos, Maturumque virum prudens effecerit aetas,
- 150 Nil sapiet vulgare, animo super aethera vectus Omnia pervadet magni penetralia mundi: Abdita non illum naturae arcana latebunt, Herbarum vires rapidique volumina coeli Callebit, nec mentis opus studiumque sagacis
- 155 Ingenii imminuent villosi tergora dorsi. Ipsa quoque acterno Nerei de semine creta Pulchra Thetis natum ipsa tuo concedet alendum Chironi, sobolique tuae submittet Achillem. — Haec fata, in tenues evanuit ocyus auras
- 160 Phantasia, et vigilem fugiunt phantasmata Nympham. Hoc somno erectas vires et gaudia sentit Phillyra, vesanasque levant insomnia curas: Quae dum mente agitat versatque examine crebro, Reddita lux oculis tandem et solatia cordi.
 165 Sed quoniam tam saeva tulit sibi taedia foedi
- Obiecti species, posthac nec grandia cete, Nec turpes magno nantes in gurgite phocas, Caeruleos nec delphinas, nec te quoque Proteu, Cernere dignata est, nec vos Tritonia proles:

4

170 Assiduis sed Nereidum permixta choreis Nil nisì formosos respexit provida vultus.

Vos ergo, o gravidae! si mens est edere natos Corporis egregii, solertem impendite curam, Ut semper subeant oculos pulchra omnia vestros.

- 175 Si puer in votis lepidus, formosus Apollo
 Formosa vestros delectet imagine visus,
 Aut qui infelicem Corydona urebat Alexis.
 Si magis arridet praestanti foemina forma,
 Conspicite aut Venerem, qualem Titianus amoena
- 180 Depinxit tabula, aut Danaën pulchro ore nitentem, Dum pluvio hanc implet genialis Iuppiter auro. Si tamen et nostri decus haud ignobile sceli Suspicere est animus, pulchrae observetnr imago Phyllidis, in nostros qualis fuit obvia sensus,
- 185 Dum nos vesano quondam torrebat amore.
 O quam conspicua fulgebat mira iuventa!
 Quae roseo ore magis? nivea quae fronte puella
 Candidior? quae grata magis se corpore toto
 Exhibuit moles? et amandos fusa per artus
- 190 Blanda Charis spiransque omnis per membra Cupido? Verum o humanae nimia inconstantia sortis! Floridus hic periisse decor iam coepit, et aevi Conditio infelix lapsos desiderat annos: Iam rugae subeunt, iam dens obscurus hiulco
- 195 Ore patet raroque albescens area crine.
 Atque adeo nostras quae quondam flamma medullas Pascebat, nunc extincto fervore quiescit.
 Nunc saevos Phyllis mutata trucidat Amores, Et quae pulchra malum dederat, dat foeda medelam.

LIBER TERTIUS.

200 Hanc ideo ut diversam hodie se monstrat ab illa Quae fuit, effugite, o foetae, ne turpis inurat Effigies turpem concepto in semine formam.

Nec me hic praetereat Charicleae candidus ortus, Et nivea Aethiopi facies contraria matri.

- 205 Nam dum admissum utero semen Persina fovebat, Andromedes tabulam candenti fronte decoram Acrius inspectans simulacra albentia traxit, Unde a materna nigredine degener orta Filia, quot casus terra iactata marique,
- 210 Quot subiit saevae repetita pericula mortis! Donec nudorum antistes tunc forte sophorum, Sisimithres, miserae reclusit fata puellae, Atque albi causam vultus detexit Hydaspi. Sed quoniam, o calidae Meroës venerande sacerdos!
- 215 Quae simulacra refers patrium mutasse colorem Virginis, haud aperis, quo robore praedita tanto Suffecere operi, liceat mihi mente sagaci Quaerere, quo natura modo haec miracula praestet. Nec mihi sufficiant Stagiritae dogmata, vana
- 220 Decantata schola maiorisque indiga lucis. Ast hortis, Epicure, tuis, unde abdita rerum Principia educam, fas sit succedere, nostro GASSENDO monstrante viam, quo doctior alter Nec melior quisquam, naturae arcana latentis
 225 Eruere et coecas potis est reserare latebras.

In primis magno in mundo aspectabile quidquid Oppositosque ferit sensus, corpuscula quaedam, Subtiles tanquam exuvias hinc inde fluore Continuo circumfusas dispergit in auras,

4 *

- 230 Atque haec cunctarum rerum simulacra vocantur, Quae simul impigris pennis motuque volucri Praedita vel minimos gaudent penetrare meatus, Implicitisque atomis sensoria quaeque pererrant. Neve hic, assiduis credas effluxibus ipsam
- 235 Corporei obiecti molem debere minorem Agnosci demum, maguaque ex parte fluentem. Namque hae pertenues cum deripiuntur abunde Bracteolae, subeunt aliae leviterque subintrant, Unde novo accessu cita compensatio fiat.
- 240 Imo has concisas adeo exilesque putabis Effigies rerum, ut quae defluxere per annos Centenos, simul aggestae vix lumina tangant, Nec possint vel araneoli contexere stamen. Nec magis ipsarum motum inficiere volucrem,
- 215 Namque leves solis radios fluxumque perennem Lucis et aetherei praevertunt sidera mundi, Usque adeo rapidis alis simulacra feruntur! Ipsa quidem e rebus quae sunt derepta venustis, Leniter afficiunt oculos sensumque titillant,
- 250 Quippe suo laevore placent, globulisque rotunde Contextis pupillam aditu solantur amico, Irrepuntque poris quibus intertexta patescit. Mox animae ipsius substantia convenienti Idolo exultans, calidi penetralia cordis
- 255 Laetitia suavi distendit, et ipsa refundens Iucundae simulaera rei per mollia spargit Viscera, maternaque agitat glomerata sub alvo: Queis dum formatrix concepto in semine fervens Afficitur natura, nova mox concita norma

LIBER TERTIUS.

- 260 Pulchrum texit opus, pulchraeque ad imaginis instar. At si de turpi erumpent idola figura, Asperitate fera fodient oculosque animumque, Et quasi spicululis infesto stamine iunctis, Invadent tristes sensus mentemque lacessent.
- 265 Unde atrox odium mox surget et anxius horror, Quo contracta gement praecordia, foedaque trudent In latebras uteri foedae simulacra figurae. Tunc ideo tenerae prolis qui membra Prometheus Finget, ad obscoenam speciem sua diriget orsa,
- 270 Infamique typo turpis signabitur infans. Nec stupeas inclusum utero, matre ocyus ipsa, Mutari facilem varia ad signacula foetum. Nimirum ut mollis, qui pendet ab arbore, fructus Grandinibus diris et saevi flatibus Euri
- 275 Obsistit levius, gravioraque damna capessit, Quam qui lignoso durescit robore caudex: Sie uteri appendix foetus liquentia membra Sortitur, minimis etiam magis obvia noxis. Ergo per integrum gestandi tempus imago
- 280 Meute vigens animae formantis dirigit almam Saepe operam, lepidaeque evadit regula formae. Viscera prima quidem et totius stamina molis Corporeae natura insternit tempore primo. Dein reliquos artus affuso sanguine fingit,
- 285 Carneaque adiunctis infercit membra lacertis, Extenditque cutem frontemque exornat et cra. Unde nihil volvas animo, nil lumine fixo Inspectes, quod forte notis deturpet iniquis Pulchrum opus, et recto naturam e tramite flectat.

- 290 Nec satis est animum lepidis mulcere figuris, Corporis immodicos motus, crebrasque choreas Vitet foeta uxor, praesertim tempore primo Conceptus, nec non ubi maturescere foetum Postremi ostendunt menses, partumque minantur.
- 295 Quippe ligaminibus teneris per tempus utrumque Conniventi utero foetus suspensus adhaeret, Unde abigat crudum, torto vel corpore turpem Saeva parens, rapidis si vibret saltibus artus, Concutiatque levi membra exilientia planta.
- 300 Utque seni Coo violento exercita saltu Psaltria concretae geniturae exordia prima Prodidit, et coeptae corrupit stamina prolis: Sic etiam octavo quae Bacchanalia saltat Mense nurus, grandis disrumpit vincula foetus
- 305 Praepropere, et fuso exundantis sanguinis amne, Difficili partu, poenas pro crimine pendit. Ergo quis insanis celebrantes orgia ludis Praegnantes ferat ? et strepera invitante palaestra Alterno implicitas per mutua brachia nexu?
- 310 Quum tamen hic solitis vos interdico choreis,
 O gravidae! haud me ideo nimiam laudare quietem Credatis, nec vos teneat contrarius error.
 In cunctis servare modum ratio optima suadet.
 Nec foetam lento iuvet indulgere veterno,
- 315 Ducere vel residem malesana per otia vitam. Desidia humorum densam cumulante saburram Nativus calor obruitur, ne se enthea virtus Formatrix recto foetus lineamine possit Exerere, et pulchras membrorum effingere formas

LIBER TERTIUS.

- 320 Sed gravidas modicus recreat labor, atque latentis Dum sensim reserat spiracula coeca caloris, Expurgat crassa oppressas fuligine partes: Unde infans uteri tenebroso carcere clausus Transpiret melius, vegeto et se robore firmet,
- 325 Quo novus immensum civis prorumpat in orbem. Quae tamen hic exercitia, aut quod nostra laboris Ars genus edoceat praegnantem? an vecta patenti Curriculo aut placidis laeta ad viridaria bigis Leni corda levet motu, atque exerceat artus?
- 330 Praecipue umbrosis ulmorum ubi semita frondet
 Ordinibus, virides qua lambit Sequana ripas,
 Parisiumque solum vitreis interfluit undis?
 O quanta exultans percellunt gaudia pectus,
 Dum sese innumeris volitantes axibus addunt
- 335 In spatia, et crebris remeant loca consita gyris
 Intonsi iuvenes pulchraque aetate puellae !
 Hic curru aurato rapidisque invectus ephebus
 Gaudet equis, flavo per eburnea colla capillo
 Conspicuus, chlamydem clavis auroque micantem
- 340 Ventilat et varias radianti vertice plumas, Eximius rutilo quas pileus explicat orbe. Parte alia, fronte albenti lepidisque comarum Cincinnis, tremulis oculis, strictisque mamillis Praeterit innupta virgo spectanda iuventa.
- S45 Hinc atque inde patens. Hanc pronus amator adorat, Illa salutantem blandis resalutat ocellis, Et gratum nutu grato solatur amantem. Haec sane iucunda hilarent spectacula nostram Praegnantem, dulcique agitent praecordia sensu.

- 350 Ast ubi finitis excursibus appetit omnis Rheda domum, fervetque rotis creberrimus axis, Tunc rapido in patulam celer irruit impete portam Auriga, hic laxis alium premit acer habenis, Alter et effuso certat praevertere cursu.
- 355 Hinc fragor, hinc volucrum radiis persaepe rotarum Effractis aperit resupino crure puella Quas sinus abscondit casto velamine partes, Quodque eheu vidisse piget! deiecta cruento Nonnunquam casu mollis virguncula laesam
- 360 Ingemit aut frontem, aut oculos malasque rubentes. Haec ideo vitet cursus certamina praegnans, Et tardo cedens gressu portam ultima claudat. Namque et collisae quamvis innoxia rhedae Sors faveat, tamen et gravidam metus ipse cadendi
- 365 Conturbans diro forsan vexabit abor'u. Quippe coit gelida pressus formidine sanguis Confertim, cordisque cavos uterique recessus Obruit affluxu subito, iugulatque calorem. Unde ego maluerim, crebro resonantia curru
- 370 Vitari spatia, ut cultos secedat in hortos,
 Et pedibus spatiata suis per amoena vireta
 Hauriat optandas Zephyris mulcentibus auras,
 Quae facere eximia cupiet se prole parentem.
 Quum vero hiberni penetralia frigora soles
- 375 Inducent, tristi glacie canisque pruinis,
 Arboribusque comas vellent et gramina campis,
 Quo tandem te, foeta, geres ? An clausa tepenti
 Sub thalamo Boream falles brumamque vigentem,
 Nec te usquam gelidi premet inclementia coeli ?

LIBER TERTIUS.

- 380 Atria operta quidem ventisque impervia multum Tecta probem, quibus immites traducere menses, Et validum possis felix educere foetum, Sed quoniam modico nonnunquam Aquilone serena Ridet hyems, nitidasque brevis sol exhibet horas,
- 385 Has laeta impendas civiliter in visendis
 Matronis nuribusque, tibi quas proxima iungunt
 Compita confinique placens vicinia tecto.
 Hic dulces miscere iocos, hic seria ludis
 Diluere et tumidi liceat fastidia ventris.
- 390 Quodque piae dudum tibi praecepisse fidelis Debueram, inprimis summum venerare Parentem, Qui te foecundo vivum de semine foetum Concepisse dedit partusque ad tempora servat. Huius adi sacra templa frequens, semperque colendas
- 395 Muneribus cumula sanctis et honoribus aras, Ut demum fausto proles tua numine fusa Transigat innocuum laudandis moribus aevum, Et mentem patrio coelestem reddat Olympo.

Atque has a primo conceptus momine leges 400 Observes, donec valido conamine foetus Erumpens utero materna repagula pulset. Imo et maturi quum iamiam tempora partus Instabunt, lucisque puer maioris egenus Gestiet aethereas tandem se prodere in auras,

405 Tunc quoque provideas, ne proruat impete pravo, Difficilique ortu corpus distorqueat infans.
Cerea, si nescis, hoc tempore membra miselli
In quamcunque (nefas!) formam ducuntur inepte, Et saepe illepidam sortitur Agrippa figuram.

- 410 Atque ideo extentis pedibus si prodeat, aut si Hanc illamve manum muliebria ad ostia tendat, Vel clune obverso natales tentet acerbos, Mox fida obstetrix habilis molimine dextrae Corrigat errantem motum, in meliusque reducat,
- 415 Dum capite educto primum reliquoque sequente Corpore se facili promat conamine natus. Unicus hic etenim cunctis nascentibus aptus Est modus, ut primo in coelum se vertice prodant.
- Nec satis est, egressu agili emersisse venustum 420 Infantem, ni legitimi nova pignora lecti, Appositisve tener cunis foveatur alumnus. Praecipue caveas, ne duro fascia gyro Mollia membra premat, 'neve ipso a limine vitae Inducat tortam nutrix improvida formam.
- 425 Nonne incomposito quae saepe volumine cingunt Vincula stricta latus pueri costasque tenellas, Gibbosum faciunt deformi tubere dorsum, Elatasque humeris alas surgentibus addunt?

Quin etiam multi vexant puerilia morbi

- 430 Corpora, queis lenem properes adhibere medelam, Si cupis innatum prolis servare decorem. Inprimis quae materni exanthemata gignit Sanguinis illuvies, papulasque inhonesta minantes Ulcera, sollerti Paean medicabitur arte.
- 435 Ridentes ne forte oculos nasumque genasque Laevoremque cutis corrumpat foeda cicatrix. Heu! quot virgineos immani strage lepores Perdidit haec immunda lues! quot lilia fronti Chloridis eripuit, tenerosque occidit amores!

LIBER TERTIUS.

- 440 Ipsa Deae quondam similis Galataea, priusquam Sordida sensisset tetrae contagia labis, Nunc tanti morbi feritate cavata genarum Marmora, et acre malum luget stillantis ocelli. Ipse quoque, innumerae quem deperiere puellae,
- 445 Deliciaeque sui sexus, formosus Amyntas, Postquam dira luis foedarunt stigmata vultum, A cuncta passim iam fastiditur amante. Quum tamen haec ad Paeonios pia cura nepotes Spectet, et exilis superet molimina vatis,
- 450 Haud ego sustineam tanto succurrere morbo. Praeterea nostrae quis coepta audacia Musae Ferre queat, si quae docto modulamine, magne SAMMARTHANE, tua legimus cantata Camoena, Haec eadem illepido vanus clangore recantem?
- 455 Vos potius tenerae aetatis pernoscere pestes Quos iuvat, et pulchro labem hanc avertere ab ore, Vos SAMMARTHANI divina poëmata crebra Pertractate manu, doctasque evolvite chartas. Hic totas Heliconis aquas, hic flumina Pindi
 460 Tota hausit, nullam non novit Apollinis artem.

Interea nostrae succedant otia pennae, Et quae Pegaseo in coelum subvecta volatu Abiectam despexit humum, nunc praepete lapsu Subsidens placida demum requiescat in umbra. 465 Fors erit, ut quondam redeuntem pectora Phoebum Admittant, pulchraeque canam consortia mentis

Atque incorruptos formoso in corpore mores. Ecquis enim crassa errorum caligine coecum, Aut foedum vitiis animum, speciosa cientem

- 470 Membra ferat? vel coelesti de culmine fusam Misceat obscoenae telluris sordibus auram? Sed tantae rationis opus, conamina tanta Ferrea vix nostri mereat vesania secli, Quippe hodie virtutis amor studiumque pudoris
- 475 Exulat, apparetque ullus vix cultor honesti,
 Ex quo ad perpetui furialia munera Martis
 Nostra peregrinos adscivit Gallia mores.
 Vos adeo (indigetes Divi) quos Celticus orbis
 Tangit et Hectoreae desciscens gloria gentis,
 - 480 Vos tristes mutate vices, regnique fatiscens Sustentate decus, dulcemque inducite pacem: Ut tandem innocuas recolamus Palladis artes, Inque suum redeat pretium Parnassia laurus.

455 Vos potias tenèrao actatis peraospere postes Quos invat, et pulebro labem hane preziere ad ore. Vos Sammanumi divina poèmaia cuebra Pertractate innun, doctasque ergivite cheitas. Hie totas Helfoonis aquas, hie finnina Pindi 465 Tota hausit, sullem von noch Apollials artem.

Hace wadem illepide vanus clancore recentem ?

Interea matrin sincedant olia pennae. Et quae Persisco in ceclum subrecia velata Abicetiam despectit human, mune pracepete lapsu Subsidena placida demon redevatem pectora Phoeben 405 Fors crit, at quasdam redevatem pectora Phoeben Admittant, pulohracque cavam consectie mentia Atqui fordem visits animem, specier increa. Requis cuim crassa errorum caligine ceccum, Aut fordem visits animem, specier circtem

ONEGIPAERIA.

Incusatque Deas, divisção innexia verhis Faca onerat, quad materna cifeizeur ab alvo Nudus ad humanao misorande, incommoda sortis, Quid, me (aik) avutsam Phoebeo e sidere duramam 35 Accepisse invat, calideque in corde vigorem Acthereum et divite lamen speciabile mentis,

LIBER QUARTUS.

Et matro enditiger stenale siturner autoim 32

30 Insa chiam obseaccaust promis spectation fronte

QUAE tamen ignavam pertentat barbara mentem Segnities? nostrasne diu obmutescere Musas, Aut patiar lento Phoebum torpere veterno?

- Hactenus egregios vultus artusque venustos 5 Diximus. Hic superest operis pars optima nostri. Hic hominis coeleste decus, mentisque canenda Nobilitas, pulchroque micans in corpore virtus. Tu Dea, quam summo de vertice Iuppiter almus Fudit, et illaesum iussit servare pudorem,
- 10 Ingenuasque artes colere, et probitatis honestos Exercere modos, sanctosque inducere mores, Casta Minerva, fave! Non hic Cytherea profanas Miscebit flammas olidaeque incendia taedae, Sidereum spirant praecordia pura furorem.
- 15 Ex quo e diluta finxit tellure Prometheus
 Os sublime hominis, coelestemque indidit ignem,
 Quo mens aethereis splenderet congener astris,
 Saepius insanae Superos tetigere querelae.
 Divina licet effigie aeternoque decore

20 Conspicuus sua stultus homo primordia damnat,

Incusatque Deos, dirisque innoxia verbis Fata onerat, quod materna eiiciatur ab alvo Nudus ad humanae miseranda incommoda sortis. Quid me (ait) avulsam Phoebeo e sidere flammam 25 Accepisse iuvat, calidoque in corde vigorem Aethereum et divae lumen spectabile mentis, Si cunctarum orior rerum indigus? inscius? infans? In duram proiectus humum velamine nullo Et miserum querulis signans vagitibus ortum?

- 30 Ipsa etiam obscoenum prona spectantia fronte Bruta solum tamen ingenito sibi robore gaudent, Adnatisque armis laedentia quaeque repellunt. Quadrupedes servant densae per corpora setae, Cornuaque, et duram quae roborat ungula calcem.
- 35 Tutantur pisces squammae, aëriasque volucres Remigium alarum et mordacis acumina rostri. Nec non omnigenas facili passim ubere nutrit Terra feras, cum me interea ceu dira noverca Perpetuo cogat victum sudore mereri.
- 40 Imo hic, quo reliquis videor praecellere, splendor Sidereae mentis crassa caligine primum Obruitur, multosque diu coecutit in annos, Donec me tandem rerum experientia segnis Instituat vel morosi doctrina magistri.
- 45 Tunc quoque quot subeunt teneram fastidia mentem, Dum veri abstrusum decus aut discrimen honesti Quaerit, et ingenuas extundere nititur artes, Dum veneris rapidos satagit compescere motus, Immanisque feros irae fraenare furores?

50 Usque adeo humanam damnant fata impia prolem ?

Scilicet hae stolido erumpunt de pectore voces, Has vesanus homo effutit, quum numen iniquum Mentitur, iustisque intentat crimina Divis.

- Quis tamen ista ferat pravae dicteria linguae? 55 An tu delicias orbis terraeque decorem Inficiari audes hominem, qui robore mentis Aeternae et validae rationis viribus omnis Naturae tenet imperium, mundumque gubernat? Laevia membra quidem et nullo munimine tecta 60 Nascuntur tenero infanti, sed provida mater,
- Quae caro totis opibus succurrat alumno, Non defit, donec firma compagine corpus Crescat, et innatum prodat mens inclyta lumen. At simul eximio ratio fulgore coruscat,
- 65 Subtilique acie rerum discrimina cernit, Cuncta sibi parere iubet, scctatur honesta, Turpia declinat: pallatia, moenia, leges Condit, et ipsa suum quem conflavere tyrannum Magna elementa colunt, sublimiaque ora verentur.
- 70 Saepe (fatebor enim) premitur mens pondere densi Corporis arceturque polo, sed se tamen ima Tollet humo, si quando volet, cognataque tangens Sidera se patrio generosam reddet Olympo. Ardua non refero, proprio dum lumine sese
- 75 Lustrabit coelestis homo, terrestria spernet, Vanaque despecti ridebit frivola mundi. Hic tamen arte opus est, etiam praecepta invabunt Arcendum a vitiis animum, mentisque vigorem Exerere, innocuae properabit regula vitae.

80 Non equidem inficior, pulchro quin sanguine cretos

Sideribusque bonis morum comitetur honestas, Et patrum in natos abeat cum semine virtus, Pulchra tamen plerumque labant: et qui male Cale tames melorq rate protectia linguage

Educat, hanc perdit, primordiaque optima vertit. 85 Unde hic insanos possum incusare parentes, Quos tam coeca tenet natorum incuria, alendos Ut passim ignotis tradant nutricibus, unde Innumera e tetro manent dispendia lacte. Namque ut corporeas sileam quas lactea noxas

- 90 Pocula prima ferunt, ipsam quoque laedere mentem Lac solet et pravos animi producere mores. Quis neget impurum meretricis ab ubere succum Exsugi, unde irae, foedaeque libidinis ignes Corda urant, castumque vetent habitare pudorem?
- 95 Tu quoque, fraterno maduit cui sanguine dextra, Romule, cui raptas placuit temerare Sabinas, Et Latias vastare domos et vivere rapto, Nonne fero de lacte lupae mammisque cruentis Atroces hausisti iras animumque rapacem?
- 100 Ergo ubi delecta est moris lactisque pudici Nutrix, ingenuis quae sit sapientia natis Indenda, attenti e nobis ediscite patres. Ipsa etiam invita male concreti indole nati, Legitimis crescet studiis exercita virtus.
- 105 Sic quondam assiduo sophia indefessa labore Socratis infausto genio atque in prava ruenti Obstitit, et pulchro perfudit lumine mentem, Unde per Argolicas sapiens celeberrimus urbes Promeruit sacris nomen memorabile Delphis.

- 110 Non tamen hic omnes morum conscribere leges, Est animus, sed summa sequens fastigia rerum Quae pueris, quae puberibus sint apta regendis Praecepta, et teneras quae flectant optima mentes Consilia, apposito quo sum potis ordine pandam.
- 115 Principio infantum dum muta superfluit aetas Humore immodico, nec adhuc parva ora resolvit, Tunc tantum satagas, ut mollia corpora dulci Augescant victu, motuque exercita blande Firmentur, sumantque habiles per membra figuras.
- 120 Quippe sub hac aetate latet sopita recentis Vis animi, nec dum ingenito se lumine promit. Sicubi coeruleis Titan emergit ab undis, Humentemque torum liquidae fugit Amphitrites, Vix minimos spargit radios lucemque pusillam,
- 125 Donec in aethereas surrexerit acrior oras. Sed postquam blaesae distinguere verba loquelae Incipiet puer humanasque emittere voces, Mox curis animate pils pater adveni, et alti Iura Dei propera crescenti infundere nato:
- 130 Ut quae prima puer balbutiet ore venusto
 Verbula, divinas laudes coelique benigtas
 Virtutes resonent fusumque per omnia numen.
 Si quando horrisonos comitantia fulgura bombos
 Aethera discindent, subitoque insueta fragore
- 135 Pectora subvertent puero, incutientque tremorem: Huic superum ultrices iras animumque Tonantis Insinua, quod magno hominum Divúmque parenti Contemnat seguis meritum persolvere honorem. Sic Iovis iniectus sapiens timor aequa tenellae

- 140 Corda dabit proli sauctaeque exordia legis. Forsitan et sola tandem ratione magistra Nosse Deum posset felici sidere natus, Sed nullis patrum monitis haec sera veniret Notio, nec nisi provecto illucesceret aevo.
 145 Hinc coecam miseror sortem lugendaque fata Occiduae gentis, quae nostris invia dudum Puppibus, adversis figit vestigia plantis. Haec licet innumeros seclorum viderit orbes Mirandasque vices rerum mundique tenorem,
- 150 Vix tamen insertos sentit per singula Divos.
 Usque adeo doctore opus est, ut numina noscas!
 Nec satis est, puero Iovis inspirasse potentis
 Imperium, cultusque sacros sanctumque timorem,
 Ipsum etiam sic instituas, ut pectora nullis
- 155 Assuescant odiis: cunctos sic diligat, ut quae Displiceant sibi non aliis infligere tentet.
 Quid referam grato venerandos corde parentes?
 Aut consanguineos aut longaevae ora senectae?
 Aut Themidis magnos proceres, rerumque magistros?
 160 Haec sunt quae puero vel ab ipso limine vitae Praecisies, divinae haec sunt compendia legis.

Ast ubi paullatim crescens adoleverit aetas, Iamque capessendis monstraverit artibus aptum Ingenium, mentemque habilem verique capacem,

165 Protinus ingenuis studiis se tradat adulti Vis animi, facilisque adeat prima atria Musae. Nonne magis dociles aevi sibi vendicat annos Mnemosyne, Aonidum genitrix, mollemque cerebri Temperiem et vegetos nativo robore sensus?

- 170 Ergo quae memori debent sub mente reponi Ocyus, ut variis accommoda nomina rebus Ex Graeco Latioque penu deprompta, vel ipsa Pulchri quidquid habet viventum lingua Quiritum, Gallicaque eximiis hodie ditissima libris,
- 175 Quaeque superba graves extollit Iberia voces,
 Gnaviter assiduaque opera perdiscat ephebus.
 Ipse quoque interea veraces volvere curet
 Historicos, quibus aeternis signata tabellis
 Heroum acta micant, longos memoranda per annos.
- 180 Quis vesana ferat falsaque strepentia fama Facta virúm, qui nusquam ullo vixere sub aevo, Quique leves vano pascunt phantasmate mentes? Has commentitias et ponderis omnis inanes Historias bonus assuescat contemnere tiro,
- 185 Nec nisi veridicis amet impallescere chartis. Nec tamen altisonos pigeat versare poëtas, Entheus est ollis furor et sapientia miris Docta modis, lepidoque placens modulamine virtus.

Sed pubescenti postquam nova robora nato

190 Accedent primoque animus turbabitur aestu, Tunc satage, ut ratio studiis gravioribus ipsam Se firmet, properetque feros componere motus. Fervida corda quidem et calida turgentia bile Vix sapient, vix in crudam prudentia mentem

195 Intrabit, sed non ideo hanc obvolvet iniquo Turbine tempestas aut tristibus obruet undis, Si modo sideream fundet sophia optima lucem. Macte igitur generoso animo virtutis amator Strenue, ne coecum rapiat te devius error. 67

5 *

200 Utque illibatum menti conferre decorem Sis potis, et Superis dignam traducere vitam: Esse aliquos Manes aeternaque iura supremi Crede Dei, quibus astra bonos, horrenda scelestos Antra manent, rectaque fluunt mortalia lege.
205 Haec est vera hominis sapientia, nobile mentis Hoc studium: novisse Deum, sese quoque nosse, Seque immortalem cognato reddere Olympo.

Sed quia virtutum regitur chorus omnis ab ipsa Luce intellectus, qua circumfusa voluntas

- 210 Pergit ad innocuos facili conamine mores, Hoc ideo inprimis cures, ut plurima mentem Notitia illustret, confusaque nubila cedant. Novi equidem, angustum miseris mortalibus aevum Concedi, unde animum iucunda scientia veri
- 215 Vix subeat, densasque abigat de mente tenebras: Sive quod innatum rationis lumen opaca Nube tegant tetri fumantia corporis exta, Sive quod omnis inops lucis mens inscia crebro Indigeat sensu, rerum ut simulacra capessat.
- 220 Quidquid id est, te perpetuo indulgere labori Fata iubent, si pulchra animi ornamenta requiris, Tu tamen omnimodas rerum pernoscere causas Ne speres: nimis immenso se porrigit orbe Mundus inexhausto specierum plenus acervo.
- 225 Sufficiet spectare, rato quo cuncta reguntur Ordine, et aeternas quas servant sidera leges. Aspice, quam pulchra compage cohaereat ingens Machina sidereae molis, quam fronte perenni Luminis in vastum Titan spargatur Olympum,

- 230 Foecundetque leves radiis vitalibus auras: Sive indefessa lustret vertigine terram Ignivomis invectus equis, sive ipsa rotetur, Et circum immotum solem vaga terra pererret. Cuncta movet Deus omnipotens, nec talia coecus
- 235 Tam stabili dudum volvat molimine casus. Parce tuis, Epicure, atomis sine numine textam Congeriem astruere et vanae ludibria sortis. Ipsa licet solidis praestent corpuscula rebus Materiem, tamen eximia Iovis arte coacta
- 240 Diversas mundo species tribuisse necesse est. O quam conspicuo mens exornata decore Fulgeret, si rerum ortus et foedera nosset! Quotque modis elementa suas miscentia formas, Omne genus lapidum, duri genus omne metalli,
- 245 Graminaque et segetes, frondosisque edita sylvis Robora, squammiferos pisces, volucresque canoras, Foecundique armenta soli, pecudesque ferasque, Caeteraque immensi componant corpora mundi!

Sed nosse humanae praestat miracula molis, 250 Divinumque animal, cuius veneranda potentem Ora Deum referunt, mortaliaque omnia lato Imperio et valida rationis lege coërcent. Nonne per expansum quidquid diffunditur orbem Sola hominis natura capit? Nonne alta rotundi 255 Arx capitis, tibi supremam Iovis exhibet arcem? Nimirum ut rutili sedet alto in culmine mundi Omnipotens, pulchra Divúm stipante corona Aligerúmque choro, queis summa capessere iussa Aeternique datum est nutus deferre Tonantis,

- 260 Sic caput humanum nitidi mens aetheris aura Incolit: huic adstant sensus, huic plurima gaudet Spirituum servire cohors artusque movere, Et totum aethereo perfundere lumine corpus. Quis neget e medio radiantem pectore solem,
- 265 Cor almum vitae sidus, quo membra foventur Omnia coelestique vigent recreata calore? Nonne ut candenti nonnunquam exaestuat igne, Subiectasque urit terras accensus Apollo: Sic etiam, ignita si quando ebulliet ira
- 270 Cor hominis calidove furens ardebit amore,
 Continuo effuso corpus torrebitur aestu?
 Quid loquar, ut pelago mixtam telluris opacae
 Colluviem referat foecunda humoribus alvus,
 Unde vapor flatusque frequens prorumpat in omne
- 275 Pectoris et capitis spatium, pluviaeque solutae In morem toti madeant sudoribus artus? Ceu nubes coelo obtensae velamine crebro Phoebeos adimunt radios et lumina condunt, Sic saepe obscuros fundente abdomine nimbos
- 280 Ingenito splendori animi nox incubat atra, Donec discussa redeat caligine lumen, Humanoque iubar nitidum reddatur Olympo.

At vero omne feret punctum, si se quoque norit Mens hominis, nil quippe ipsa pretiosius usquam est.

285 Haec est vera Dei effigies, ignobilis expers Materiae, fati victrix et nescia mortis.
Haec effusa licet per totos corporis artus Crassam agitet molem, tamen impermixta cohaeret, Et rerum abstractas species generumque latentes

- 290 Naturas in se reflexo lumine cernit.
 Sic quamquam assiduo moveat moderamine mundum Omnipotens, totumque almis concursibus orbem Sustineat, rerumque vices et tempora mutet, Se tamen aeternum proprioque decore coruscum
 295 Suscipit, immensoque nitens fulgore triumphat.
- Ergo immortalem quum se mens aemula Divům Noverit, an celsum non affectaret Olympum? An foedis terrae illecebris correpta caducas Sectaretur opes, vani vel inania sensus
- 300 Gaudia, vel stolidos mundi fallacis honores? Annon virtutes potius conatibus aequis Indefessa colat, vitiorumque agmina frangat? Nam si aeterna manent sceleratas Tartara mentes, Et contra aethereis succedunt candida campis
- 305 Pectora, quis dubitet iustos acquirere mores? Quem non delectet solers prudentia, honestum Vestigare habilis, rectumque insistere callem? Quis non despiciat venerisque gulaeque pudendas Delicias? quis non invicto robore diros
- 310 Contemnat fortunae ictus fatique procellas?
 Paupertas, saevusque dolor, plebisque cachinnus
 Ortum virtuti iucundaque pabula praebent,
 Quoque magis premitur sapiens, magis inde resurgit.
- Sed quia non satis est, propria virtute decorum 315 Fulgere, et Superúm vitam sedesque mereri: Te quoque proficuum patriae, te civibus aptum Redde tuis, animumque ad publica commoda confer. Nonne animal civile audis, cui mutua cura Officiique pii communis convenit usus?

- 320 Quum tamen haud homines studia omnes omnia tangant, Nec grave sit, placito iuvenem indulgere labori, Consule nativum genium, et seu pacis amoenas Seu minus optandas Martis delegeris artes, (Nam plerumque armis fas est sua iura tueri)
- 325 His te agilem accingas, primo dum flore iuventae Membra vigent, firmumque micat sub pectore robur. Sed caveas ne, dum Mavortia signa sequeris, In pravos mores flexu labaris iniquo, Bellicaque ingenuam corrumpant crimina mentem.
- 330 In bello praeceps vitium stat, vixque furentem Temperat a noxis animum furialis Enyo.
 Atque ideo insanam ne inducat Thracius ardor Barbariem, qua miles iners vecorsque ferocem Pallada nusquam ulla Musae dulcedine lenit:
- 335 Tu placidis studiis immania dilue corda, Et tener immiti Marti iungatur Apollo.

Ut demum validae laudanda peritia menti Accedat, pulchrisque animum virtutibus ornes, Te iuvenem peregre varias invisere terras

- 340 Diversosque hominum genios, diversaque regna
 Observare velim, ut memori haec sub mente reponas,
 Ante genus quam tu instituas vitaeque tenorem.
 Nam quum quaeque suos habeat provincia mores,
 Quaeque suum gens ingenium, te cuncta sagacem
- 345 Explorare iuvat, ritus habitusque locorum,
 Quod cunctis vitium populis, quaeque insita virtus. —
 Sic ubi transmissis invises Alpibus almam
 Italiam, gemino pelagi munimine tutam,
 Hic rerum quondam dominam latoque potentem

- 350 Imperio, nunc fractam imbelli robore Romam Invenies, sola se relligione tuentem. Hic Latius miles torpens, et Martis aviti Immemor, ignava compostus pace quiescit. Quae tamen eximium praefert veneranda cadaver,
 355 Quaeque tot heroas rutilis URBS addidit astris, Haud omni quassa prorsus virtute fatiscit. Romuleum quandoque solum, quo semine Divo Turget adhuc, seclis praeclara exempla futuris Parturit, ingentes animas, queis deditus orbis
 360 Cedat, et immensi volvatur machina mundi. Sic qui hodie nostris praelucet Iulius oris, Ausoniae rutilans iubar et Romana propago, Scipiadae quos ambo olim Fabiique invictos
- Monstravere animos, uno de pectore promit. 365 Non illum frangit rabies pugnacis Iberi, Iraque foeta odiis. Non illaetabilis Orci Spiritus aut saevos in mutua vulnera Gallos
- Tisiphone exagitans, non atris tetra colubris Invidia impavidum potuit convellere, diro 370 Quin sua dente secaus in cassum viscera rodit.
- Quodque magis mirere, suos quum vindice dextra Conterere osores queat, his ignoscere lenis Iulius, Aeneadaeque alto cum nomine Iuli Iungere mitem animum mansuetaque pectora gaudet.
- 375 Caetera sed variis degit quae subdita sceptris Itala gens, audax robur priscumque vigorem Exuit, huic superest vafrae solertia mentis, Ingenium blandiri habile et sapientia miris Mixta modis, suavisque potens facundia linguae.

- 380 Interea ad cunctas aptum sese Italus artes Ostendit, sapit in multis, votoque tenaci Quae cupit insequitur patiens, nec inania captat. Non hunc spes longãe absterrent, longique laboris Taedia, non dirae quatit inclementia sortis.
- 385 Providus et frugi rerum dispendia vitat, Fortunamque regit, felix industria nomen Italicum passim celebrat, gratumque Camoenis Ingenium et Phoebum non dedignantia corda. — Exinde occiduum si perges visere Iberum,
- 390 Acre hominum genus occurret, fortissima bello Pectora, quae totam cupiunt sua sub iuga mitti Europam, insana necdum ambitione quiescunt. Quin etiam immensum dum subdere cogitat orbem Hesperia imperio flagrans, quot adire labores
- 395 Gaudet, ut ingentes animos ingentibus ausis Impleat, et regnis nondum exsaturata triumphet. Non hanc oceani rabies, non altera mundi Sidera et ignoto reboantes aequore venti, Non sitis, immanisque fames desistere magnis
- 400 Incoeptis, votisque modos imponere cogunt: Tantus amor sceptri, tantae dominatio curae! Interea immodici regni dum coeca cupido Hispanos agitat, placitis parere severae Militiae faciles submissa mente capessunt
- 405 Iussa ducum, tetricasque minas nutusque verentur. Hoc igitur robur constans, hacc Martia gentis Temperies, haud ruris amans invertere glebas Aut serere aut laetas ulmis adiungere vites Conspicitur, sed tota viris omni arte domandis

- 410 Incumbens ensem gestit praeferre ligoni.
 Nec tantum bello insignes spectabis Iberos,
 Consiliis sed praecipuos, alteque silentes
 Quae cupiunt tacitoque prementes pectore vota.
 Imo et saepe sacrum dum relligionis honorem
 415 Praetendunt coeptis adduntque ad crimina Divos,
- Plebeiam illudunt turbam, vulgique profani Obtusas sancta replent caligine mentes. Praeterea inflatis Hispana superbia buccis Obtundit patulas tumidis sermonibus aures,
- 420 Exteraque aspernans naso suspendit adunco Unde tumorem oris vani ampullataque verba Quis ferat, insano dare pondus idonea fumo? — Si deinde e calidis remeans regionibus altos Pyrenaei apices peragras, Gallosque revisis,
- 425 Hi pro more leves subeunt animoque feroces, Omnis et officii immemores, bene vel male facta Vix animo recolunt irave ultrice rependunt. Huic tamen innatae levitati Martia virtus Iungitur et nullis audacia fracta periclis.
- 430 O quoties subito tremuit perculsa timore Roma potens, quum per Latios se funderet agros Indomitus rapidoque erumpens impete Gallus! Quid Celtis eversam Asiam Libyamque recantem, Totque triumphatas Eoa ad littora gentes?
- 435 Omnia iam celebrata, sed acri Marte furentes Vix possunt Galli rebus durare secundis. Saepius et pulchris infelix exitus orsis Succedit, perditque omnes mens laeva triumphos: Sive quod intrepidae violenta ferocia gentis

- 440 Haud perstare diu valeat, seu quod nimis hostem Contemnens domitum molli lasciviat aestu, Sive quod instabiles animi sese ad nova semper Promoveant, partasque sinant arescere laurus. Interea reges ceu numina sacra verentur
- 445 Addicti imperiis Franci, nec ferre recusant Quidquid subiectos iubeat Diis aequa potestas. Unde hic regnatur vere, nec ubique locorum Regia maiestas solio magis emicat alto. Hic placitum pro iure datur, pro lege voluntas
- 450 Sola tonat, puerique interdum debile nomen Invictis succedit avis, populosque coërcet. Quid loquar, ut blandis Galla excipiantur in aula Hospitiis, quos lugendos sors improba vexat? Gallia in externos totis expanditur ulnis.
- 455 Imo alienigenas, aptum queis rebus agendis Contigit ingenium et rerum prudentia solers, Consilii in partes summas arcanaque regni Adsciscit, meritosque excelso donat honore. Sic qui nunc placido flectit moderamine Gallos,
- 460 Romanus Latio princeps spectabilis ostro, Quam dulci exceptus gremio! sed quanta rependit Munera, dum firmis Gallum cervicibus orbem Sustentat novus Alcides, clavaque tremendus Victrici Hispani Geryonis ora retundit!
- 465 Nec tantum urbana se consuetudine Gallus Commendat, vultuque hilari et dulcedine morum, Seria sed lepidis grato moderamine miscens, Artibus ingenuis Musas sophiamque Camoenis Iungit, et abstrusum nihil intactumque relinquit.

- 470 Attica facundis quidquid sapientia chartis Protulit, Aoniae quidquid cecinere sorores, Quidquid et Ausonii Tiberina ad flumina vates Romuleis dixere modis citharaque tubaque, Omnia pernostis Galli aequatisque canendo:
- 475 Quippe etiam eximiae vestro modulamine Musae Aemula Cecropii resonant Latiique leporis Carmina, et arguto mulcent praecordia cantu. — Inde Caletani si traiicis aequora ponti, Anglos immanes regumque a caede cruentos
- 480 Repperies, plebem effraenem, sanctisque rebellem Legibus et varia cum relligione furentem.
 Unusquisque sibi vates, sibi quisque sacerdos Hic audit, proprium genium sequiturque proterve, Proque animi libito Superis imponit honorem.
- 485 Saepius hinc irae et lacrymae, dum somnia iactat Quisque sua, et stricto defendit credita ferro. Nec tantum veteres ritus cultusque Deorum Contemerare novis gaudent erroribus Angli, Hos etiam in reliquis insana protervia ducit:
- 490 Et si qua antiquas convellat opinio mentes, Hanc subito arripiunt et toto pectore firmant.
 Nec tamen omni laude carent: hos nautica virtus Ornat et immensi divina peritia pontì.

Non Anglum Tiphys superet, non fortis Iason,

495 Non quemcunque tulit velis audacibus Argo. —
Quid referam angusto divisos acquore Belgas,
Non Celtis multum absimiles, nisi regia sceptra
Odissent, cara pro libertate feroces. —
Te quoque non pigeat Germanam invisere gentem :

- 500 Huic alti decus imperii Romanaque cessit Gloria, et intrepidis aquilis fulgentia signa. Huic colitur sincera fides, huic callida mentis Vafrities agilisque animi versutia fallax Displicet, et varios quaerens prudentia gyros:
- 505 Sive quod algenti densoque sub aëre natis Germanis haud ingenium contingat acutum, Sive quod ingluvie crebra nimioque Lyaeo Turgidula obtundant temulentam viscera mentem. Quippe his egregium est, pateras haurire capaces
- 510 Implerique mero, non his inhonesta videtur Ebrietas, imo unanimi si pectore gaudent Foedera percutere et sociales iungere dextras, Lenaeo indulgent, per mutua pocula sanctae Pignora amicitiae tradunt, pluresque bibendo
- 515 Siccantem calices sequitur fiducia maior. Talia Sileni celebrabant orgia quondam, Inflati ut semper fumanti abdomen Iaccho, Atque dapes inter dulces laeto ore canebant. Nec tamen immodicos implens Germania ventres
- 520 Omnem animum extinxit: quaedam pars inclyta gentis Ingenioque potens mirandas extudit artes. Quis nescit, diri resonantia fulmina Martis Germana fabricata manu? graphicasque typorum Inventas Rheni famosa ad flumina formas,
- 525 Doctorum queis scripta virûm pretiosaque Musis Carmina venturos durant servata per annos? Nec sileam, ut studiis Bellonae asperrima corda Teutonicae gentis grata vix pace quiescant. Otia quippe suas cernant si involvere terras,

530 Finitimi in partem belli concedere malunt, Quam placida torpere manu lentoque veterno. Hinc apud externos passim stipendia quaerunt, Nec pudet, ut pugnent, armatas vendere dextras. -Te demum Danos vellem et novisse Polonos, 535 Indomitosque Getas, nec enim sarraca Bootae Pigra vetant, gelida Musas habitare sub Arcto. Sed forsan tot adire plagas, tot dissita regna Lustrare, et varios populorum expendere mores Vix poteris nimiumque viae perferre laborem. 540 Nimirum validos artus cum sorte benigna . 853 Hunc habuisse opus est, qui tot pervadere tractus Sustineat, terrisque diu jactetur et alto. Quin etiam quum iam matura accesserit aetas, Ferventemque animus peregre sedaverit aestum, 545 Sistere tunc gressum, civili munere fungi Convenit, et stabili tandem se tradere vitae. Ergo tibi vario quidquid didicisse labore Contigerit, perpende lubens, vitiisque fugatis, Quas apud externas gentes spectaveris, usu 550 Illustres tu virtutes amplectere solers, Conspicuumque ex his animi compone decorem. Sic ubi mellis opus laetis in saltibus Hyblae Aëriae meditantur apes, per florida passim 980 Rura volant, violas, tymbram, casiamque, thymumque 555 Exsugunt, fusosque bono de sidere rores, Ut placidas dulci distendant nectare cellas.

Interea reliquos vitae dum transigis annos, Nec decor ingenitus mentisque adscita venustas Dispereat, tu clarorum monumenta virorum

- 560 Alternis horis relege, ut, quae multa vagantem Haud subiere animum, iucunda per otia discas. Praecipue historicis quae sunt insignia chartis Magnorum seu facta ducum, seu dicta sophorum, Seu positus tibi non visos coelique solique,
- 565 Caeteraque ingenuis quae lucem mentibus addunt. Denique colloquiis hominum te semper honestis Misceri me auctore iuvat, nam se quoque virtus Nonnunquam contage bona per amica propagat Pectora, et optandi veneranda scientia veri.
- 570 Quis tamen hic sileat magnatum improvida passim Corda patrum, qui infensa suis consortia natis Haud animadvertunt, sed libertatis habenis Effusis, quoscumque sinunt discrimine nullo Et pravos plerumque sibi sociare sodales.
- 575 Nam simul ut se patritius depromet ephebus, Inque hominum coetus dabit, excutietque magistros, Ne speres ipsum verae virtutis alumnos Culturum: scurrae, ganeones, alea, scorta Hunc rapient, teneroque animo per lubrica ducto
- 580 Incautum tristi vitiorum gurgite mergent. Nec tantum exuitur generoso pectus honesto: Ipsam etiam pulchri mentem penetralia veri Indagare vetant, coecamque ad devia flectunt. Ad mensas, ubi se facilem misceret amica
- 585 Pocula per laetasque dapes minus aspera virtus, Indocti accumbunt parasiti, sordida turba Assentatorum: sapida hic obsonia laudat, Hic stupet ad lautas epulas, hic turpe voracis Gutturis exemplum pleno se proluit auro

- 590 Spumantis paterae, Bacchumque ad sidera tollit. Alter ventre minor, nec strenuus helluo, mollem Commendat Venerem blandosque Cupidinis ignes: Ingenuam domini florente aetate iuventam Ad scelus incendit: "Culta (inquit) molle puella
- 595 O rex subrisit tibi. An hanc fastidit amautem Cor iuvenis, nec iucundo indulgebit amori? Tu tibi, quod satis est, sapis: aerumuosa Solonum Consilia et tetricos felix contemne Catones." Hi sunt convivae, hic de rebus inanibus omnis
 600 Sermo, de recto nihil est quod scire laborent.

Talibus instanti dictis et plura paranti Dicere, quae patulas circum vox adsonat aures? Quae facies fulgore novo radiantia spargit Lumina, et ambrosiis perfundit odoribus auras? 605 Calliopen video, specie nec fallor inani.

- Ut comi gravitate nitens, blandoque pudore Nobilis! ut miro incessu Dea vera patescit! Quid me, Diva, tuo adventu dignaris? an istud Quod cecini carmen te Pindi e vertice duxit,
- 610 Ut mea conspicua praecingas tempora lauro? Perge, ait, et pulchrae quae sunt addenda Camcenae Accipe, teque novo repleri numine gaude. Non satis est, homines vivendi legibus aequis Instituisse mares, animumque ornasse virilem.
- 615 Foemina cui grato naturae munere maior Ore decor, lepidaeque data est praestantia formac, Ipsa etiam propriae mentis rescire venusta Ornamenta cupit, propriosque agnoscere mores. Et quia formosa specie sexuque benigno

620 Gaudemus Divae Aonides, et congrua nobis Munia virginibusque aptas pernovimus artes, Has non dedigner facili tibi pandere versu.

Inprimis non tam crasso muliebria corda Ficta luto, aut laevam sortita est foeminamentem, 625 Quin pulchris etiam studiis sit idonea: coecum Quis ferat errorem, quo non licet esse peritis Virginibus, verique altas inquirere causas? Nempe his innatae lumen rationis ademptum Cur fuerit? Cur humanae vis insita menti

- 630 In pulchro sexu sic extenuata fatiscat? Dii tantum vetuere nefas, nec solus Apollo Artibus ingenuis habilis, Tritonia Pallas Has quoque, et Aoniae norunt pia turba sorores. Quae tamen (o Gallae gentis vecordia!) princeps
- 635 Nos colit hic mulier? tecum, o Vallesia proles, Foeminei omne decus sexus, tecum occidit omnis Ingenii muliebris honos, nec discere quidquam, Quod decoret mentem, Gallarum ignavia curat. Ergo ad Hyperboreum tandem migrabimus axem
- 640 Concretasque gelu terras. Hic magna Getarum Regina exosas hac tempestate Camoenas Excipit: hacc nostras lauros miscere paternis Gaudet, et innocuas Marti succedere Musas. O fati abstrusas leges! o mira Deorum
- 645 Consilia! eximias quae quondam everterat artes Barbara gens, doctumque furens turbaverat orbem, Nunc versis rerum vicibus mitescit amoeno Ingenio, et tantae studiis sapit heroinae. Vos modo Gallarum nuruum densissima turba,

- 650 Si minus ad claras animos advertitis artes, Este bonae saltem et castum servate pudorem. Vos dum accurato texetis pollice lanas, Aut facilem ducetis acum, fusosve colusve Mobilibus digitis vilique agitabitis usu,
- 655 Aemula corda piis saltem retinete Sabinis. Quis ferat obscoenos mores meretriciaque ora Laidis aut foeda turpem prurigine Floram? Quis molles laudet risus, oculosque trementes, Aut voces nimium blandas aut verba pudenda,
- 660 Caetera queis pulchri sexus violatur honestas? Ipsa quidem aethereo Psyche spectanda decore, Talibus haud usa illecebris corrupit amorem, Moribus at pulchris animi castoque lepore Non illaudatos accendit amabilis ignes.
- 665 Dixit et in tenues actutum evanuit auras,
 Meque levi confusum abitu tristemque reliquit.
 O Dea, si placido te compellare liceret
 Alloquio, alternisque mihi rationibus uti,
 Quam te ego praestanti vellem sermone morari!
- 670 Tu mihi, quae pulchrum virtus heroica regem Reddat, tu celsam regali in corpore mentem Regnandique bonas artes, supremaque iura Dissereres, altosque animos et regia corda: Quae divo canerem iuveni, quem Gallia pulchrum
- 675 Regnatorem amat et solio veneratur avito. Huic tua dum cultis divina effata referrem Carminibus, quaque arte suis evaderet usque Dilectus populis et amanda sorte beatus, Forsitan ad nostros cantus adverteret aures,

6*

- 680 Exciperetque lubens gratae modulamina Musae. Quae tamen hic nostram stolida imprudentia mentem Abripit? An princeps streperis circumdatus armis Audiat imbelles et amantes otia Musas? Scilicet imperiis totam dum effraenis Iberus
- 685 Appetet Europam, et lato grassabitur orbe Ambitione furens et iniquo fervidus aestu, In bello labor omnis erit, solaque pharetra, Non modulante lyra, regi arridebit Apollo. Ergo o Calliope valeas! nec me sacer ultra
- 690 Ardor agat sanctumque vigens in pectore numen. Tempus erit (diras nec serius impia nectent Fata moras), quo tandem odiis saturata cruentis Hesperia et saevo nequicquam exercita Marte Consilia in melius referet pacemque rogabit,
- 695 Quam pius oranti Gallus non abnuet heros. Tunc procul omnis erit belli furor. Occidet omnis Effera vis animi regnique insana cupido. Tunc quoque conspicuae foliis redimitus olivae Musarum adveniente choro Lodolcus amice
- 700 Occurret, gaudensque altas inducet in aedes
 Aonidasque Deas sacrorumque agmina vatum.
 O quam sublimi resonabunt regia plausu
 Atria! quam dulces modulos laeta audiet aula!
 Ferales causas longique exordia belli,
- 705 Quo per bis denos furiis immanibus annos
 Gallicus Hispano miscetur sanguine sanguis,
 Et lati horrescunt diverso milite campi,
 Innumeras classes, constratum puppibus aequor,
 Praeliaque eversasque urbes, terraque marique

- 710 Et passim alternos utraque e parte triumphos Maeonio elata execrabitur ore Camoena. Mox tamen ut tantas strages meminisse pigebit, Attonitaeque frement bellaci carmine mentes, Continuo dulci succedet pectine blanda
- 715 Euterpe, et laetos pacis celebrabit honores, Suadebitque choros et amoenae gaudia vitae. Liber et alma Ceres plenis cumulata canistris Dona ferent, pingues reliquis cum fructibus uvas, Turgidaque infuso fervebunt dolia musto.
- 720 Tunc demum pulchram facili quam pangimus artem Carmine gaudebunt pulchri exercere nepotes, Blandaque legitimo crebrescent basia nexu.

Sic postquam aethereos iaculatus Iuppiter ignes, Immanem Enceladum, Coeum, torvumque Typhoeum,

- 725 Et coniurates in Olympia culmina fratres, Disiecit tostos Aetnaeisque obruit antris, Protinus Aonias Superi excepere sorores, Magnaque iucundo sonuit victoria cantu: Laeta serenato plauserunt numina coelo,
- 730 Ambrosiae rediere dapes et nectaris haustus Egregii, divae divis amplexibus ulnae Miscentur, celsumque hilarat pax aurea mundum

Y. 367. Et validam cupits en utera depanere protem.

Sellieb haud paucas offers into Collica utility ilegali dianas malama et inte sider contin

Prognatary hand surfar pugnantis semina fandant

The tament has counted (news do ") open manual

Despicion, and to externit copiant humandi. "

VV. 339 - 437. non habor b., sed in count loss

LIBBR OUXBAIR.

10 Es passin alternos maque e parte triumphos
 Maranfo clata exectabilitar ore Camocue.
 Max tenen ut tamas strages menduisse pigebil.
 Monificque frênces bejusi caradia mentes;
 Cominue dulei succedet pectoe blanda.

VARIETAS LECTIONIS

715 Enterpe, et Justys padis equebrabit difference.

moniplus shame to supply the

EDITIONIS PRINCIPIS RARISSIMAE QUAE PRODIIT LUGDUNI BATAVORUM 1655. 4.

moren annigesq more Missi

LIBER PRIMUS.

VV. 5. et 6. non habet editio Leidensis.
V. 59. Unde tot in claris rebus discrimina, quaenam.
V. 81. Unus erat cultus Superúm, non caeca Cupido.
Inter V. 109. et 110. interponit Leid. hunc:

Perfectamque queant speciem sine nube tueri. VV. 283. 281.

O fortunatum quem casto ardebat amore Divum mater Atym! tantae si basia sicca.

VV. 297 — 359. non habet L., sed in corum loco: Usque adeo simili gaudentes flore iuventae Proderit ante omnes geniali incumbere curae. Nec tamen impubes etc.

V. 367. Et validam cupit ex utero deponere prolem. VV. 396 — 437. non habet L., sed in eorum loco:

Tu tamen has omnes (nostrae o spes maxima gentis)

Despicias, nec te externi capiant hymenaei. Scilicet haud paucas offert tua Gallica tellus Regali dignas thalamo et quae sidere eodem Prognatae, haud varia pugnantia semina fundant

VAR. LECT. EDIT. LEID.

Temperie, aut figant ignotis basia labris. Nec te coniugii teneat tam caeca libido Ut quam aut Italicus iactabit regulus aut quam Vel Padus ostentet, Tiberis vel turbidus amnis Immeritis adhibere toris digneris et alti Stemmatis oblitus vili amplectaris amore. Dum tamen ad magni felicia foedera lecti Prudenti praestans delectu etc.

LIBER SECUNDUS.

VV. 1 - 36. ita leguntur in L.:

Sed iam legitimo sociati numine sponsi Foecundos ardent coitus: iam vesper amantes Sollicitat Venerisque sacro micat aureus igne. Ipse pater saturo turgens abdomine Bacchus Saltat et effuso redolentia pocula vino Inversaeque iacent paterae, succedit amica Lampade ridentes agitans Hymenaeus amores Atque maritalem iactans Saturnia taedam. Ergo agite o passae genialia proelia matres Virgineam intactae zonam discingite sponsae etc. VV. 46. 47.

Nimirum crudam si ad laeta cubilia portas Perdicem, incoctaque agitas genitalia coena.

V. 54. Qui matutino coeperunt tempore foetus.

V. 144. Accipe quae pulchros fingunt bona sidera natos.

V. 169. O Superi, et celsi caeca ignoratio mundi.

V. 204. Hos Helenae pulchros fratres, concordia corda. VV. 236. 237.

Aemula fax Iovis innocui, qua purior usquam Nulla micat radiisque uteros melioribus implet.

V. 293. Nunc mihi sidereae reclusa est munere Divae.

VARIETAS LECTIONIS

V. 328. Hunc versum excipiunt in L. tres sequentes: Si mulier praegnans calcabit menstrua, abortus Continget, si virgo eadem teret infoecunda Evadet sterilesque infelix exiget annos. Si canis hanc etc.

VV. 372 — 470. desunt in L. V. 471.

> Quid iuvat hic pronos marium, uxorumque supinos, Commendare situs? quid veras pandere causas Informis molae etc.

V. 476.

Obstrepit adductasque pudens admurmurat aures.

LIBER TERTIUS.

V. 5. Atque redundanti turgentes sanguine mammae.
V. 9. Sed quia iam nostrae coepit se prodere menti.
V. 121. Hanc rerum innumerae species, hanc millc figurae.
VV. 290 — 389. desunt in L.

VV. 399. 400.

Atque hanc a primo conceptus momine legem Observes, donec perfecto robore foetus.

V. 410. Atque ideo exertis pedibus si prodeat, aut si. V. 440. Ipsa Deae quondam similis Calirhoea priusquam.

LIBER QUARTUS.

V. 12. Diva Minerva fave. Non hic Cytherea profanas.
V. 44. Instituat tetrici vel disciplina magistri.
Inter V. 104. et 105. interponit L. hunc:

Laudandique habitus natalia turpia frangent. V. 109. Extitit et sacris nomen memorabile Delphis.

EDITIONIS LEIDENSIS.

V. 173. Pulchri si quid habet viventum lingua Quiritum.
V. 179. Heroum acta micant saeclis exempla futuris.
V. 318. Non te animal civile putas, cui mutua cura.
V. 328. In pravos flexu mores labaris iniquo.
V. 350. Imperio, nunc imbellem et sine robore Romam.
VV. 354 - 381. desunt in L., habet in eorum loco se-

quentes versus:

Caetera quae variis degit subiecta tyrannis Itala gens, veteres animos priscumque vigorem Exuit: huic superest vafrae sollertia mentis Ingenium ad fraudes habile et prudentia miris Mista modis, stolidus qua circumscribitur orbis. Quid quod adulatrix formas se vertit in omnes Natio, servitio repens, magnatibus astans, Subdola, lucro inhians, si iusseris ibit in orcum Italus esuriens, crimen nec respuet ullum. Hunc tamen haud credas nulla virtute redemptum A vitiis, sapit in multis votoque tenaci.

V. 384. Taedia, non sortis dira inclementia frangit.

V. 388. excipiunt in L. sequentes versus:

Quodque magis mirere, alto quae e culmine summi Decidit imperii, reges tamen edocet artem Regnandi, instituitque novos gens victa tyrannos. Exinde occiduum etc.

V. 450. Sola crepat, puerique interdum debile nomen. VV. 452-465. desunt in L. et in eorum loco habet

sequentes versus:

Quid loquar, ut blande Galla excipiatur in aula Advena, Trinacriis etiam devectus ab oris. Gallia in externos nimia bonitate redundat, Imo alienigenis prava ratione regendam Se tradit plerumque, suumque ingloria robur Subiicit hospitibus longinquo e littore fusis. Nec tantum urbana etc.

VV. 570-600. desunt in L.

V. 640. Concretasque gelu terras, hic magna Gothorum. VV. 682. ad 688. desunt in L., in eorum loco habet L. sequentes:

Abripit? an princeps vana circumdatus aula Audiat ingenuas et amantes pulchra Camoenas? Scilicet indoctos animos ignavaque regum Corda fovent prava sontes ratione ministri Utque suum servent regnum, regna omnia perdunt.

VV. 691. et sq. omnes desunt in L. et loco eorum claudunt poëma sequentes versus:

Fors erit ut nostri pulcherrima gloria saecli Celtarumque insigne decus, rex munere Divúm, Editus, et fati Lodoicus cura potentis Discussis quondam nebulis diffundat ubique Ingenitum iubar et proprio se lumine promat. Sic saepe obscurae denso velamine nubis Obsitus et tetra pressus caligine Titan Nativo demum radiantis acumine lucis Nubila perrumpit victor, seque asserit orbi Splendidus et toto rutilans spatiatur Olympo.

she interface of the second of

Subirest housed in an engine sectors

Whe marking indexe all.

To state of the disease in the second of T

· 90

annihotshi sono to NOTAE olupens on

nisemie incolas; masterius Aelhioges, a M

NO MARCHINE DR. 1910.

139. 160. Zonas Bighar et forrida homines alle

167. 163r. Princeps Arabay est Abelloda Du-

ers oc aligne instraisso a legitan again ifesiod on

reputes up Estimatas et Groeulandiae Lavao-

mascenes, aut sub finders dechiel XIII and

Shi-aking Jumono

orevincia Gallico. In

IN LIBRUM PRIMUM.

- 1. Facile in mentem incurret unicuique legentium primus versiculus Georgicon: Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram Vertere, Mecaenas etc. Et eiusmodi imitationum nimis ad verbum factarum et ideo minus laudabilium plenum est Quilleti carmen.
- 48. Cyrus, Persarum rex, sexto ante Christum natum saeculo. Loquitur de hac re Plutar-chus (apophthegm. reg. et imperator. s. v. Cyrus): Πέρσαι τῶν γρυπῶν ἐρῶσι, zal zaλλίστους ὑπολαμβάνουσι, διὰ τὸ Κῦρον, ἀγαπη-θέντα μάλιστα τῶν βασιλέων, γεγονέναι γρυπὸν τὸ εἶδος. Persae adunco naso praeditos amant, pulcherrimosque eos iudicant: quod tali forma fuit Cyrus, quo neminem regum ii maioris fecerunt (Ed. Wyttenbach, Oxon. 1795. 4. Tom. I. p. 481.).
- 97. Phoebe i. e. Diana, ut apud Ovid. Metam. I. 476., Virg. Georg. I. 431 al.
- 104. Vide Pandorae fabulam apud Hyginum et Hesiodum.
- 118. Nupsisse Pandoram Epimetheo et Pyrrham

ex eo filiam habuisse, legitur apud Hesiodum, vatem Ascraeum.

- 159. 160. Zona frigida et torrida homines alit quam maxime deformes, prior scilicet polares populos ut Eskimotas et Groenlandiae Lapponiaeque incolas; posterior Aethiopes.
- 167. 168. Princeps Arabs est Abulfeda Damascenus, qui sub finem saeculi XIII. et ineunte saeculo XIV. vixit et opus historicum et geographicum reliquit, quorum posterius nuper arabice ediderunt Iouy et Reinaud, Paris, 1829. 4.
- 190. Turonia, la Touraine, provincia Gallica, in qua natus erat auctor, quare eam summis laudibus exornat. Est regio in utraque Ligeris ripa, urbi Turoniorum, quam hodie Tours dicunt, circumiacens.
- 192. Liger fluvius, hodie *la Loire*; Andes, regio Galliae, quae non longum a mari distabat (Caes. bell. Gall. III. 7.) et Turoniae vicina (ib. II. 35.), ita ut sub ea fere regionem ab hodiernis *Anjou* dictam et huic proximas maris oras intelligere possis.
- 235—239. Morbi, quos a coniugium ineuntibus abesse vult, sunt: podagra, epilepsia, mania, melancholia, phthisis et tabes. Et sunt certe omnes eiusmodi, ut a parentibus ad infantes transire non immerito credantur.
- 241. Antiqua opinio, iam a Praxagora et Democrito prolata, a recentioribus derelicta, cfr. Galeni definitiones medicae n. 439. ed. Kühn, tom. XIX. pag. 449.
- 283. Cfr. Ovid. Fast. IV, 223 sq. Metam. X, 103. Catull. Carm. 61.

319. Vox curruca dubiae indolis est et fere unice

occurrit apud Iuvenal., Sat. VI. v. 276., ubi alii aliter legunt; in nostro versiculo indicare videtur maritum uxoris infidae.

422 — 436. Hos versus auctor in gratiam Mazarinii apposuit, qui tunc temporis neptim suam, Olympiam Mancini, Ludovico regi in matrimonium offerre conabatur. In priori editione plane contraria sententia hoc loco lecta est.

NOTAE IN LIBRUM SECUNDUM.

BIDIS -BTOISTIS

- 23. Puer Oebalius s. Spartanus est Hyacinthus ille, quem Apollo deperibat et qui tandem disco enecatus est ab Apolline iacto et a terra in caput eius repercusso. Vide Ovid. Metam. X, 182 sq., Martial. Epigr. XIV, 173. Auson. Idyll. XII. de historiis v. 1.
- 61. Lactens ille cremor est chylus, seu succus lactei coloris, qui e cibis concoctis in ventriculo et intestinis superioribus conficitur et per singularem aliquem canalem (ductum thoracicum vocant) in venas transit, sanguini commiscetur et in hunc ipsum convertitur. Hoc in iecore fieri veteres crediderunt et hoc ipsum viscus pro haematopoëtico habebant.
- 66. Plexus centuplex venarum intertextarum dicitur hoc loco de propria testiculorum fabrica e vasis seminalibus et sanguiferis varie inter se contortuplicatis contexta.
- 135. Syphilidem s. morbum Gallicum sub fine saeculi quinti decimi ortum duxisse putabant nonnulli ex coniunctione Martis et Saturni in sidere Cancri. Cfr. Fracastorii carmen de morbo Gallico, Lips. 1830. 8. p. 26 et 67.

- 179. 180. Vector fugientis Helles est Aries (cfr. Ovid. Fast. IV, 715.), quem reliqua zodiaci signa consueto ordine excipiunt, ut Taurus cum Pleïadibus in hoc signo conspicuis v. 190 sq., Gemini v. 203., Cancer v. 215 sq., Leo v. 222 sq., Virgo v. 232 sq., Libra v. 241 sq., Scorpius v. 250 sq., Sagittarius s. Chiron v. 257 sq., Caper v. 264 sq., Aquarius v. 267 sq., Pisces v. 269 sq. Feliciora signa habentur Gemini, Virgo, Libra, Sagittarius, Aquarius.
- 321. Elephantiasin et omnino lepram oriri ex coitu cum muliere mensium fluxum habente, prolem scilicet inde enatam serioribus annis elephantiasi laborare aliisque leprosis affectionibus, antiqua opinio est.
- 326 sq. Cum sanguinem mulierum menstruum antiquitus iam pro purgatione uteri et excremento haberent, quotidie etiam observarent e subita mensium suppressione morbos oriri vehementes et periculosos, venenatam huic sanguini indolem adscripserunt, variasque de hac re narrarunt fabulas. Cfr. Plin. Histor. natur. l. VII. c. 15. l. XXVIII. c. 7.
- 335 sq. Cfr. Lucret. IV, 1264 sq., ubi eadem lex scribitur.
- 454sq. Secundum antiquam et iam in Hippocratis aphorismos (sect. V, 48.) receptam opinionem mares in dextra, foeminae in sinistra uteri parte concipiuntur et nutriuntur. Cum vero uterus humanus, non uti in animalibus bifariam divisus, sed simplex reperiatur et unica cavitate praeditus, apud recentiores non amplius huic rei fides habetur. An e dextri te-

sticuli semine mares tantum, e laevo feminae prodeant, non constat.

NOTAE IN LIBRUM TERTIUM.

- 1-5. Certa signa fetus concepti non quidem adsunt, vulgo autem pro eiusmodi signis habentur: maior in ipso generationis actu percepta voluptas, os uteri clausum, menses retenti, mammae turgentes, appetitus ciborum vel imminutus vel adauctus vel perversus, nauseae etc. Aliqua ex his signis iam Hippocrates enarrat aphor. sect. V, 51. 61. al.
 - 62. Fabulam vide apud Hyginum aliosque; a matre Philyra saepius Chiron dicitur Philyreius heros, ita Ovid. Fast. V, 391., Metam. II, 676.
- 166. Grandia cete, uti Virg. Aen. V, 822.: Tum variae comitum facies immania cete, numero plurali ad morem Graecorum: zήτη pro zήτεα.
- 179. Titianus, Tiziano Vecelli, pictor Venetus, Ioannis Bellinii discipulus, natus in regionis Foroiulianae oppido Cadore anno 1477, mortuus Venetiis 1576. Celebrata eiusdem tabula Venerem nudam in lecto recumbentem referens asservatur in pinacotheca regia Dresdensi.
- 223. Petrus Gassendi, philosophiae corpusculari deditus, Quilleti familiaris, natus in oppido Chantersier en Provence anno 1592, mortuus Parisiis 1655. Plurima illi debentur in doctrina physica et philosophica. Vide Eius Opp. omn. Lugd. 1658. fol. Florent. 1727. fol. Vol. I-VI.

226 sq. Exponitur secundum systema atomisti-

NOTAE EDITORIS.

cum seu secundum Epicuream philosophandi rationem actio mentis in foetum formandum. Conferre licet Lucretii doctrinam de corporum simulacris IV, 33 sq.

300. Vide Hippocratis librum (spurium) de natura pueri, ed. Kühn, tom. I. p. 385. 386.

418. Vertice vel etiam occipitio.

- 432 sq. Sermonem esse de variolis, quae antequam insitio vaccinarum in usu erat, adeo multos infantes vel enecuerunt, vel oculis privarunt, vel foedis cicatricibus in cute dedecoraverunt, facile patet.
- 453. Scaevola Sammarthanus, Gauchier de Sainte Marthe, medicus Francogallicus sub Henrico III. Gallorum rege, scripsit versibus latinis hexametris poëma de puerorum educatione seu potius de medica infantum cura, quod Paedotrophiam inscripsit, et Paris. 1584. fol. min. primo typis edidit. Denuo carmen editum est Lond. 1708. 4. min., de qua editione in prolegomenis diximus. Versio extat Francogallica ab Abel de St. Marthe, nepote poëtae, confecta: La manière de nourrir les enfans à la mamelle. Paris, chez Claude Barbin, 1698. 8. min., cum textu latino in adversa pagina adposito.
- 479. Cum Francorum gens origines suas derivet a Troianis, Hectorea hoc loco dicitur. Cfr. Mone, Geschichte des Heidenthums im nördlichen Europa. Leipzig, 1822. 1823. 8. Tom. II. p. 118 sq.

NOTAE IN LIBRUM QUARTUM.


355. Urbs, scil. Roma ipsa.

- 361—374. Laudes Iulii Mazarinii, summi rerum Gallicarum sub Ludovico XIV. administri, Cardinalis Romanae Ecclesiae. Natus erat Iulius Mazarini ex oppido Piscina in ea Italiae provincia, quae nunc dicitur Abruzzo ulteriore anno 1602., mortuus est Parisiis anno 1661. Horum versuum loco extabat in priori huius carminis editione acris eiusdem Mazarinii censura.
- 365. Iberi s. Hispani tunc temporis, cum hoc carmen scriberetur, bellum habuerunt cum Francogallis, ex qua re etiam nennulla explicabis in descriptione Hispaniae eiusque incolarum v. 389 sq. Cfr. lib. II. v. 129 sq.
- 430. Non solum timuit sed vere sensiit Roma Gallorum vim, inde a Brenni antiquissimis temporibus (cf. Livii decad. V. c. 38.) usque ad recentissima.
- 455-464. Iterum de Mazarinio sermo est adulatione plenus.
- 478. Caletanus pontus hic vocatur, quod antiqui potius Fretum Gallicum dixerunt, nunc Pas de Calais.
- 479. Carolum Primum regem suum capite plecti passi sunt Angli mense Ianuario anni 1649 et in locum eius Oliverium Cromvell Protectorem agnoverunt, qui rerum regendarum iam potitus erat.
- 494. Tiphys, navis Argus gubernator, fr. Ovid. Art. am. I. 6.
- 497. Cum scilicet regis Hispaniae imperium sub fine saeculi sexti decimi abiicerent et rempu-

blicam liberam ex confoederatis provinciis constituerent.

- 522. Laudes Germanorum de inventis pulvere pyrio et arte typographica. Quod attinet ad vituperium militiae mercenariae et conductitiae, id multo minus in Germanorum, quam in Helvetiorum gentem cadit.
- 535. Sarraca Bootae i. e. plaustrum bubulci, currus Arcturi seu Arctophylacis, igitur Arcti seu Ursae maioris sidus (Arat. phaenom. v. 92. et Cic. vers. v. 96.: Arctophylax vulgo qui dicitur esse Bootes, Quod quasi temone adiunctam prae se quatit Arctum, Cic. Nat. deor. II, 42, 109.)
- 635. Margarita Valesia, Marguérite de Valois, Henrici IV. regis Galliae, uxor (nata 1552., mortua 1615.), quae sui temporis mores et historias lingua vernacula descripsit; vide eiusdem Memoires, Paris, 1628. 8. Liège, 1713.
 8., alias. Multo antea iam alia Margarita e regia Gallorum stirpe nata, Marguérite de France, Francisci I., regis Galliae soror, lepidas conscripserat fabulas et narrationes: Theptameron des nouvelles. Paris, 1559. 4., alias.
 640. Facile intelligitur sermonem hic fieri de
- Christina, Gustavi Adolphi filia et Suecorum, usque dum regno se abdicaret, regina (nata 1626., mortua 1689.), quae vanam quandam eruditionis speciem prae se ferre gestiebat.
- 674. Ludovicus XIV., qui anno 1638. natus, annum tunc agebat duodevigesimum. Iam anno 1643 rex Galliae factus erat; obiit anno 1715.





Jailing Cin dies yo Figure ? Spift in the ago, it is how of graft 30 juit I andigo aring fallenting gleak Horgin for day un Richardon Marja ingranding the Sillipiogeouit, Vi convinn.

